RVDIMENTA

HIEROGLYPHICES.

LIPSIAE,
LITERIS GVILIELMI HAACK.

GVSTAVI SEYFFARTHI

PROF. LIPS.

RVDIMENTA

HIEROGLYPHICES

ACCEDVNT

EXPLICATIONES SPECIMINVM HIEROGLYPHICORVM
GLOSSARIVM ATQVE ALPHABETA

CVM

XXXVI TABVLIS LITHOGRAPHICIS.

LIPSIAE
SVMTIBVS JOH. AMBROS. BARTH
CIƆIƆCCCXXVI

LECTORI BONO S.

Scripta Aegyptiorum hieroglyphica non nisi pari et aequali ratione eaque certa et satis tuta explicari debent. Quamdiu aliae imagines imaginumque complexiones, vt sensum praebeant, ad alia principia reuocandae sunt; quamdiu delineationum fines artificiosis coniecturis eruendos habemus; quamdiu hieroglyphices praecepta non nituntur inscriptionibus ad probanda aut reprobanda placita nostra aptissimis: tamdiu, vt mihi quidem videtur, dolebimus, praestantissimae nationis, quam historia sacra laudibus effert, quae ad literarum artiumque humanitatem viam Graecis Latinisque praeiuit, praestantissima monumenta non legi vel, quod omnes capiunt, non intelligi posse ab eruditis. Inuenienda est lex, ex qua non nomina, aut verba, aut formae grammaticae, aut aliae orationis particulae, sed integri variique textus explicari possint, quae vtrum vera sit an falsa, inscriptio Rosettana arguet. Lapis Raschidicus enim est lapis ille Lydius, in quo examinentur sententiae de natura hieroglyphicorum qualescunque. Licet scripturam hieroglyphicam corpori nouo aut incognito comparare. Chemici, quum ad explorationem veluti interpretationem corporis inexplorati se applicant, vident ante omnia de materiae natura siue conditione. Postquam viderunt, ex quo rerum genere sit suum pensum, vtrum ad lapides, an ad metalla, an salia, an animalia, an ad alia spectet, progrediuntur, via inuenta, ad solutionem et descriptionem elementorum. Haec fere sunt, quae accipias his in lucubratiunculis meis. Periculum feci indagandi indo-

lem hieroglyphices atque definiendi potestatem imaginum, in quibus fore, vt Tua suffragia feram, non spero, sed ea, qua par est, modestia cupio.

Mihi semper persuasum fuit, scripturam Aegyptiorum hieroglyphicam non esse symbolicam e sententia vulgari, sed alphabeticam aut alphabeticae simillimam. Vocabulorum enim symbolis nullam orationem clare tradi posse censebam; symbolicen vero, quali opus fuisset ad significationem cogitationum perspicuam et accuratam, nimirum artificiosissimam atque amplissimam simplicis aetatis simplicitati adscribere, non satis consentaneum videbatur. Inscriptionem Rosettanam nactus, quum singulas figuras pro singulis literis sumerem neque tamen legere possem, intellexi, hieroglyphicas, quas nos dicimus, literas nullas esse. Passim enim eadem signa ter quaterque repetuntur vno in loco atque, alphabeto vel alphabetis positis, neque leguntur vocabula satis Aegyptiaca, neque inueniuntur verba, quae secundum demoticum textum Graecamque translationem in singulis versuum locis inuenienda sint. Quare miratus sum, recentiores, qui de hieroglyphica Aegyptiorum scriptura disseruerunt, missis grauioribus, iudicasse, imagines hieroglyphicas significare literas, more Phoenicio et appellatas et potestate instructas. Primitias hieroglyphices percepi e scriptura demotica. Quum enim Spohnivs, *amicus defunctus non mortuus, clauem scripturae demoticae tradidisset, facillimum erat inuenire signa hieroglyphica, quae cum figura tum potestate conuenirent cum demoticis. Felicior fui legendis scriptis hieraticis, quae idem* Spohnivs *legere docuerat. Primo statim obtutu conspiciuntur inter literas hieraticas lineamenta hieroglyphica. Iam eo perueneram, vt cum successu ipsa tractare possem hieroglyphica. Quum scripta demotica inter se compararem atque accuratius et loca et verba paria deliberarem; contigit mihi, vt non solum genuinas Aegyptiorum literas, sed leges quoque regnantes in scriptura demotica reperirem. Eadem arte in scriptis hieraticis adhibita, etiam hieraticae scripturae interiora, quorum prima cognitio non minus cum* Spohnio *interiisse videtur, assequi ac libare credidi. Sic varia exempla et loca hieroglyphica quoque inter se conferenda mihi fuerunt. Restabat, vt quemadmodum demotica scripta cum hieraticis, ita hieratica cum hieroglyphicis expenderem, quo magis trium horum scribendi generum cum discrimina et proprietates, tum affinitates et communia apparerent. Hac quidem via his in quaestiunculis equidem processi, quam, etsi nihil, quo mea placita probentur, habeat, celare nolui, ne, cuius viri subsidiis siue vnicis copiis solis vsus essem, obscu-*

rum maneret neque alienis riuis meos hortulos irrigasse censerer. In animo mihi fuit obseruationes meas hieroglyphicas cum secunda tertiaque parte operis Spohniani *emittere; non obstiti tamen, quum hic prodromus, fortasse non ab omni parte omnibusque ingratus, iam a me exire vellet in eruditorum orbem.*

Si placet instituere examen principiorum hieroglyphices nostrae, adeas quaeso tabulas XIII—XXXII., quae glossario destinatae varia vocabula vario modo scripta exhibent. Qua in re fere ita verseris et ratiocineris. 1) *Inscriptio Rosettana demotica non verborum symbolis, aut literis cum symbolis, sed literis constat, quarum accuratiores non tantum figura, sed ordine quoque et potestate respondent Phoeniciis antiquissimis illis. Ergo literae aut a Phoeniciis ad Aegyptios, aut ab Aegyptiis veteribus siue Chamicis ad Phoenicios antiquitus nescio an Cadmum ante venerunt. Phoeniciae vero literae, quum Phoenicia nomina delineationibus suis apta gerant, e Phoenicia vita prodierunt. Aegyptii enim non Phoenicia, sed Aegyptiaca lingua locuti sunt. Ergo Aegyptus literas a Phoenicia accepit, literarum, diuinae segetis, vt veteres tradiderunt, diuina matre. Gradum fecimus. Etenim iam clarum est, partim non omnem Aegyptiorum scripturam fuisse symbolicam; partim antiquissimis temporibus Aegyptios coluisse literas easque exteras; partim denique scripturam demoticam non prodiisse, vt putarunt, ex hieroglyphica breui manu.* 2) *Porro scripta hieratica, vt* Spohnius *auctor est, itidem non ideologica, quod dicunt, aut mixta, sed, quum literas contineant demoticas ornatas et variatas, grammatica sunt natura. Inde elucet, etiam secundam Aegyptiorum scripturam eamque sacerdotalem non hieroglyphicis sed demoticis a characteribus originem traxisse atque mature in Aegypto calligraphiam obtinuisse.* 3) *Deinde inscriptio Rosettana argumento est, artem Aegyptiorum hieroglyphicam non singulis imaginibus, sed imaginum coniunctionibus tantum exprimere potuisse verborum notiones. Facili negotio loca hieroglyphica cum demoticis Graecisque congruentia distinguuntur, quare non impeditum est praefinire, quid syntagmata hieroglyphica quaedam significare debeant. Iam sentis, legem quaerendam esse, per quam plures imagines ad vnam notionem innuendam adhibitae fuerint, siue, quod idem sibi vult, eruendum esse, quid faciant singulae figurae ad vnius verbi significationem.* 4) *Denique idem lapis Raschidicus probat, notiones non vbique pari modo, sed diuersis in locis diuersa ac noua ratione expressas fuisse. Non pauca sunt vocabula, quae quoties recurrant, toties noua ima-*

gine distinguantur. Haec quidem syntagmatum variantium comparatio maxime omnium necessaria atque ceteris examinibus vt praemittenda, ita praeferenda videtur. Inde enim cognoscitur, quaenam imagines, quippe in vicem vsurpatae, eandem potestatem ac partes tueantur. Quae quum animo meo obuersarentur, accidit, vti monitum est, vt integros papyros diuersos eiusdem argumenti inuenirem. Iam redeas ad Tab. XIII. — XXXII., in quibus eiusmodi complexiones hieroglyphicas discrepantes sed idem significantes habes, partim e variis locis, partim e diuersis exemplis congestas. Causa fuerit Aegyptiis necesse est, ob quam tum certas notiones certis imaginibus significauerint, tum pro signis adhibitis alia adhibere potuerint. Noli, quum in his mea placita expendis, reliquorum immemor esse. Hactenus quatuor, quod equidem scio, hieroglyphices principia et commendata et adhibita sunt. Symbolice singulis figuris singulas notiones tribuit, siue vocabula infert, quod principium Kircherus I. secutus est. A symbolice eo differt ideologia, quod, quamquam et ipsa singulis imaginibus symbolicam potestatem adscribit, e plurium signorum argumentis tamquam notis notiones construit. Sic oculus apertus prouidentiam, constructio solida obiectum seu mundum, securis summam potentiam ac diuinitatem innuere videntur, e quibus quidem symbolis veluti elementis notionem Osiridis constare dicunt. Hanc interpretationem per integra scripta hieroglyphica nondum constanter adhibitam vidi, etsi inter alios Pahlinius, V. E., praecipue ea est vsus. Paronomasiae haec est ratio, vt cuiusuis hieroglyphici notionem quaerat ex appellationibus eius Semiticis, quam legem sibi scripsit Sicklerus, V. M. Secundum iconoprotophonesin, si dicere licet, imaginum vis reperitur enunciandis delineatorum nominibus Copticis. Hoc principium secutus est Champollionius, V. Sp., explanandis nonnullis nominibus propriis. Etenim in aliis iconophonesin cum ideologia coniunxit, in ceteris ideologiae symbolicaeque indulsit. Meum principium quod attinet, cernitur in calligraphia; interpretatio nostra symbolica quidem, sed grammatico-symbolica dicatur. Quum enim neque demotica, neque hieratica Aegyptiorum scriptura symbolica sit; quum literae demoticae e Phoeniciis, hieraticae vero e demoticis calligraphia prodierint; quum vocabula hieroglyphica non singulis, sed tot imaginibus scribantur, quot demotica et hieratica constant; quum multa hieroglyphica, praesertim non immodico imaginum numero, promiscue adhibeantur; quum omnibus fere in figuris hieroglyphicis hieratica lineamenta tamquam ossa insita facile deprehendantur: non absonum videbatur, imagines hieroglyphicas pro

literarum symbolis siue literis, vt CLEMENS *ait, imaginibus similes factis accipere. Quae quum agitarem, accidit, vt integros in papyros eiusdem textus, vti dictum est, alios hieratice, alios hieroglyphice scriptos, quod praeuideram et exspectaueram, inciderem. Quamuis enim iam licuisset, de literis hieraticis traducere sonos in hieroglyphicas ex inscriptione Rosettana, indice veri falsiue optima; mansisset tamen dubitandi locus, quum lapis scripturae hieroglyphicae non adiungat hieraticam eamque ab causam hieroglyphicis alienae literae hieraticae comparari potuissent. Oblatis textibus ancipitibus illis, tutior comparatio cessit, ita vt protinus ac sine multa opera hieroglyphica scripta intelligere, neque intelligere solum, sed, de quo nunquam desperaueram, recitare quoque posse viderer. Accessit Tab. XXXVI. Sect. III. specimen hieroglyphicum cum hieratico suo, in quo lectionem exercere possis.*

Sin breuius iudicium amas, videas de tribus vocabulis grauissimis et vsitatissimis, de נוֹר *deus,* וֹשערא *Osiris,* כמא *Aegyptus. Natio enim, quae deum suum primarium, quae terram suam patriam, quae numinis notionem non symbolice aut ideologice, sed literis et pluribus adeo, quam opus fuisset, et constanter significauit; ea quidem natio nullum librum, nullum papyrum, nullum versum versiculumue symbolica aut ideologica ratione conscripsit.*

Occasione data non possum non duobus verbis commemorare, quomodo scriptorum hieroglyphicorum interpretatio, quae nostrae aetati asseruata videtur, suscipienda sit. Hieroglyphicorum interpretationem nunc non a phantasiae quadam alacritate, sed a literarum linguaeque solerti studio pendere neque lectionem hieraticam et demoticam praeire sed sequi debere, res nostra loquitur. Itaque vt cum felici successu hac in re verseris, ante omnia linguae Chamicae, cuius aditus est in Coptica, interiora cognoscantur. Proh dolor! dialectus Coptica, latissimus campus, nondum adeo subacta est, vt omnibus, a quibus colatur, satis vberes fructus ferre possit. Quapropter vtinam meis cum precibus suas multi coniungant, ne displiceat MVENTERO, *V. S. V., ad quem omnes suspiciunt, aut aliis, manuscripta Zoegiana lustrare; pariter atque* QVATREMARIO, *V. A. D. sua scrinia excutere, vt glossaria et collectanea grammatica praestantissima in lucem prodeant. Alterum vestibulum, quod ducat ad sacra hieroglyphica, illo prius et difficilius, est in literatura. Literae demoticae non multum absunt*

a varietate et multitudine hieroglyphicarum. Quare curandum, vt omnes formae demoticae, veluti parentes vel auiae hieroglyphicarum, in suas classes disponantur. Quum eadem ratio sit scripturae hieraticae, etiam haec signa ad classes redigi, redacta ad demoticos ordines referri debent. Exemplo sit Tab. XXXVI. Haec quidem tabula, seminariolum nostrum, sufficere videtur ad nouas partes et classes vbiuis sponte inserendas; vellem tamen aliam quandam viam non negligi. Multa Aegyptiorum scripta ad nostram aetatem peruenerunt, quorum bina, terna, quaterna eadem argumenta tractant. Cuius generis exempla, demotica cum demoticis, hieratica cum hieraticis, hieroglyphica cum hieroglyphicis inter se comparare licet, quo tutius literae diuersae, potestate non diuersae, expediantur. Nolite, qui bibliothecas Aegyptiacas ad manus habetis, hoc negotio supersedere, quo vno caute gerendo praeclare promerueritis. Quid dicam de collatione textuum hieraticorum cum hieroglyphicis suis fructuosissima? In describendis hieroglyphicis imaginum magis tenuitas, quam elegantia, magisque cum literis hieraticis affinitas, quam cum naturae veritate conuenientia spectanda sunt. Iuuabit interpretationem incipere non ab artificiosis et accuratis vt obeliscorum exarationibus, sed a rudibus ac leuibus vt papyrorum byssorumque scriptis. In vniuersum scripta Aegyptiorum antiquiora recentioribus hac in re praestare, non opus est memorare. Re literaria exhausta, breui eo peruenerimus, vt in quaestionibus hieroglyphicis nulla aut pauca incerta et dubia maneant.

Sed nolo longius meas cogitationes Tuo ingenio ostendere ac venditare Tuaque bonitate abuti. Restat, vt me meamque rem Tibi commendem. Itaque vale. Dedi in Academia Lipsiensi d. XIII. Iul. a. CIↃIↃCCCXXV.

SEYFFARTH.

ARGVMENTVM.

Introductio.

Cap. I. De hieroglyphicis in universum.

Cap. II. De hieroglyphicis emphonicis.

Cap. III. De hieroglyphicis symphonicis.

INTRODVCTIO.

§. 1.

De ratione quaestionis hieroglyphicae.

Nulla fere est quaestio tam antiqua aetate, tam digna argumento, tam varia euentu, tam denique, vti videtur, impedita successu, quam ea, quae ad hieroglyphicam Aegyptiorum scripturam pertinet. Si verum est, hieroglyphicen antiquissimorum mysteriorum, quae sacerdotes soli aperire valerent, partem constituisse; tempus omnino definiri nequit, quo homines literarum amantes huius generis scripta interpretandi periculum fecerint [1]). Quanta et quaenam efficiantur recta hieroglyphorum intelligentia, id tum demum definire licebit, quum constiterit de aetate, de argumento, de pretio illorum scriptorum, quamuis nunc grauissima sane et praestantissima quaeque suspicari debeamus [2]). Longum foret, disserere de fatis horum

---

1) E sententia Zoegae (De Obelisc. Sect. IV. c. II. p. 567. sqq. col. p. 549.) scriptura hieroglyphica, initio simplex et cuiuis clara, Psammeticho regnante ita implicari coepit, vt sine singulari institutione nemo eam subinde intelligere posset. Inter veteres inclaruerunt Horvs Apollo, Cael. Avg. Cvrio, Hermapion, Clemens Al. aliique, qui, quatenus suam sententiam, quod inprimis de *Horo Apolline* valet, tradiderunt, disputatores mihi videntur. (Conf. Fabr. Bibl. Gr. L. I. c. XIII. §. III. p. 98. sqq.)

2) Inter omnes constat, Aegyptum floruisse, quum Graecia et Italia aliaeque terrae ignorantiae et barbariei tenebris adhuc premerentur, neque magis dubium est, ex Aegypto multas, quas veneramur, artes et doctrinas ad has gentes transiisse. Itaque vel ex his patet, a grammatica hieroglyphorum lectione pendere non solum perfectiorem totius antiquitatis, quae tamquam defectione longa obscurata iaceret, cognitionem, sed vniuersae etiam scientiae locupletationem nobilissimam.

studiorum. Quum enim alii alias opiniones de hieroglyphicis alerent, diversissima in iis sibi repererunt [3]). Difficultas autem lectionis hieroglyphicae nascitur partim ex obscuritate linguae, partim e ratione scripturae veteris Aegyptiacae, ita vt non mirandum sit, rem in prouerbium abiisse [4]).

§. 2.

De meritis Spohnii.

Quod sibi videtur hic libellus rationem tradere, qua hieroglyphica scripta legenda sint; id cuius nomini adscribi debeat, tacere, maxime impium et inuidiosum esset. Scilicet Spohnivs, vir immortalis meriti, omnia praeparauit, quae ducunt ad intelligentiam etiam hieroglyphicorum. Quodsi concessum ei fuisset, pergere in via, quam ingressus erat, plura Aegyptiorum scripta inspicere, perlegere, inter se comparare, quod mihi contigit; non potuisset, sed debuisset leges etiam inuenire, quibus hieroglyphica

---

3) Horvs Apollo (Hieroglyph. Libb. II.) non inuenit nisi rerum sacrarum et humanarum obscura indicia; Clemens Alex., quatenus se ducem secutus sit, sententias morales (Stromat. L. V. c. 7.), aeque atque Plvtarchvs (de Iside p. 436. T. II. p. 363.); Hermapion regum laudes (Ammianvs Marcell. L. XVII. p. 92.); Kircherus placita cabbalistica, metaphysica, theosophistica (Oedip. Voll. III. Obelisc. Pamphil., Obelisc. Isac., Panth.); Plvchivs calendaria, meteorologica, astronomica (*Histoire du ciel* etc.); Denonivs praecepta agraria (*Voyage de Naples* etc.), auctor libri *De l' étude des hiéroglyphes* (Par. 1812.) inter alia versionem Psalmi 100. Davidici, alii alia. De plerisque enim non constat, neque de iis, quos auctores enumeremus. (Conf. Zoega de Obel. c. VII. p. 175. sqq.)

4) Facilius haec causa iudicabitur, quum actum erit de singulis. Quaenam autem hac de re communis sit sententia, nemo nescit. Liceat verba glossatoris itineris Denoniani (p. 107.) afferre: Wir besitzen keinen Schlüssel über die ältere und neuere symbolische Schreibkunst der Aegypter. Sie veränderte sich unzählige Male und mit ihr der Sinn der Figuren. Als die Gewohnheit Briefe zu schreiben aufkam, geriethen die Hieroglyphen in Vergessenheit. Die Schwierigkeit sie zu verstehen, welche schon damals sehr gross war, vermehrte sich nun dadurch, dass man sich nicht mehr bemühte, sie zu studiren. Daher das gegenwärtige Unerklärbare dieser Räthsel auf den Grabmälern, Obelisken und Gefässen der Alten. Selbst Priester und Gelehrte Aegyptens konnten sie nicht mehr lesen, wie sollte man es heutzutage vermögen? Es wäre lächerlich, sich desswegen bemühen zu wollen.

scriptura constat. Quae quum ita sint, velim hae schedae accipiantur tamquam placita Spohnii, vel tamquam fructus, qui ex segete eius prodierunt, quem instauratorem literarum Aegyptiacarum veneramur [5]).

§. 3.

Sententiae de lingua hieroglyphica.

Tota quaestio de hieroglyphica Aegyptiorum scriptura in duas partes diuiditur, quarum altera spectat ad linguam, quae eiusmodi in scriptis la-

5) Non negaui vel negabo vnquam, Spohnivm in opere suo Aegyptiaco non omnia recte exposuisse (vid. De lingua et litt. vet. Aeg. Praef. p. XV.), neque is sum, qui aliorum merita post Spohnivm imminuat. Non paucae sunt literae et verba, quae, quum ad priorem aetatem spectent, ille emendasset, si vltimam manum adiicere potuisset. Non decet itaque criticum, Spohnii merita sigillatim censere, sed summatim. At quae apud Spohnivm humanae debilitatis speciem prae se ferunt, non multo maioris pendenda mihi quidem videntur, quam scissurae in obeliscis et pyramidibus aeternis, vel quam naeuuli in picturis Raphaëlicis diuinis, in quibus plebecula aut inuidiosi haerent. Quinque vel sex potissimum egregie promeruit Spohnivs. Primo eam viam ingressus est, qua ad obscuritatem Aegyptiacam dilucitandam procedatur (vid. Mem. Spohn. p. 22.). Etenim iter est a demotica scriptura ad hieraticam, hinc ad hieroglyphicam. Qui contra agunt, ii statim in vestibulo sacrarii ita impediuntur, vt, quae vltra sint, videre nequeant, aut coniicere tantummodo possint. Porro integras inscriptiones demoticas primus interpretatus est, quo duo euenerunt grauissima, cognitio linguae, quae scriptis Aegyptiorum demoticis subest, atque ratio scripturae vulgaris. Quam bene autem versatus fuerit, id nunc nouo argumento, scilicet interpretatione inscriptionis Rosettanae hieroglyphicae probabitur. Deinde integra quoque hieratica scripta illustrauit (vid. Spohn. de ling. et litt. vet. Aeg. p. 49 — 54.). Ex his denuo primum apparuit, scripturam, quae a sacerdotibus nomen acceperit, constare literis, apparuit, quales sint literae, quomodo differant a vulgaribus. Sic docuit etiam, linguam, quae in demoticis inscriptionibus inuenitur, eandem legi in sacerdotalibus. Atque Spohnivs, quum clauem scripturae hieraticae etiam nactus esset, persuasissimum sibi habebat, omnia facilius ab aliis repertum iri, quam haec. Qua in re constanter, sed modestissime contendit, se aut nullos aut seros aemulatores habiturum esse. Ipsam vero scripturam etiam hieroglyphicam, quod summum est, attigit (vid. Memor. Spohn. p. 22. 24. *eiusd.* Aegypt. p. 46. Specim. VI. not. 8. Praefat. p. XIII.). Negauit quidem constanter tum priuatim, tum publice, se aliquid vidisse de hieroglyphicis (Memor. Spohn. p. 28.); id vero fecit magis pro modestia sua et sceptica, quam pro veritate. Sciebat, neminem debere de hieroglyphica scriptura in vniuersum disputare nisi eum, qui inscriptionem Rosettanam, quam comitetur translatio Graeca velut iudex seuerus, cum aliis scriptis sana ratione explicuerit. Quae quum ita sint, inquam, absque inuidia profiteor, huius libelli merita, qualiacunque dicantur, non meis studiis, sed Spohnii lucubrationibus longe maioribus et praestantioribus deberi.

teat, altera ad potestatem siue consilium signorum, quibus scriptum est. Quod attinet linguam hieroglyphicam, alii cogitarunt de ideali quadam siue omnibus communi [6]), alii de Hebraica vel coniuncta e variis dialectis Semiticis [7]), alii de Coptica [8]), alii de aliis. Vix eget demonstratione, nullam harum sententiarum recte sese habere posse. Non enim intelligitur, nec quomodo peregrina lingua in Aegyptum illata per tot saecula vigere et adhiberi potuisset [9]), nec quomodo vernacula in tantis rerum vicissitudinibus omni parte salua et integra conseruata esset [10]).

---

6) Huc referendi sunt, qui hieroglyphica pro indiciis verborum sumserunt, quorum imaginem indicarent.

7) Hanc sententiam accuratius tractarunt duo libelli: *Die heilige Priestersprache der alten Aegyptier als ein dem Semitischen Sprachstamme nahverwandter Dialekt aus historischen Monumenten erwiesen*, von Dr. F. C. L. Sickler. Erst. Theil. Hildburghaus. MDCCCXXII. Zweiter Th. Ebend. MDCCCXXIV.

8) Quum priori aetate linguae hieroglyphicae nulla fere ratio habita sit; recentiores plerique ad Copticam prouocarunt. Fusius et doctius hac de re egerunt Qvatremarivs (Recherches sur la langue et la litterat. de l'Eg. Paris. 1818. inprimis Sect. I.) atque Champollionvs (*Précis du système hiéroglyphique* p. 374. al.).

9) Est nonnullorum sententia, sacerdotes Aegyptiacos, tamquam exteros, ex Aethiopia vel alia terra secum apportasse linguam peregrinam. Ab omni autem probabilitate alienum videtur, sacerdotes, quorum pauci singulis in vrbibus et pagis dispersi vixerunt, et voluisse et potuisse hanc linguam per mille aut millia annorum integram seruare. Constat porro, inscriptiones hieroglyphicas initio non sacerdotibus factas fuisse, sed omnibus, neque eas sacerdotes solum, sed homines etiam profanos et vulgares auctores habuisse. Tradit vltimus versus inscriptionis Rosettanae, hocce decretum publicum iis in locis collocatum esse, quo ineuntium oculis optime sese offerret. Diodorus Sic. (Lib. II. c. 81. Lib. III. c. 3.) diserte docet, sacerdotes vulgum docuisse scribendi artem, eos potissimum, qui artibus incumberent. Huc spectat, quod huius generis artificia hieroglyphicis ab his hominibus ipsis ornata exstant. Sic continent scarabaei, quos pro numis in Aegypto valuisse, nuper acumen S. Quintinii demonstrauit, (*Sull' uso, cui erano destinati i monumenti detti scarabei* etc. Turin. 1825.) regum nomina, hymnos, preces breues et eius generis alia.

10) Quaevis lingua tum omnino, tum praesertim cum Homero suo caruit, constanter certas quasdam easque aeternas ad leges mutatur, adeo vt post saecula nonnulla prioris dialecti vestigia rarius, quod multis exemplis demonstrari potest, reperiantur (vid. libr. nost. De sonis literr. Graec. tum genuin. tum adopt. Acced. comm. de litt. Graec. subinde vsit., diss. cum epist. G. Hermanni. p. 641. ff.). Hinc intelligetur, linguam Copticam, quae e scriptis saeculi II. et III.

§. 4.

Sententiae de potestate hieroglyphicorum.

Aegyptiorum hieroglyphica secundum communem sententiam sunt rerum imagines, quibus cogitationes significarentur [11]). De his quidem figuris triplex exstitit eruditorum sententia, de quo nunc breuiter disserendum et, quaenam obstent argumenta, docendum est [12]).

I.

Hieroglyphica significant rerum notiones, quarum imaginem prae se ferunt [13]). Haec sententia antiquissima et maxime omnium diuulgata stare

---

cognita est, non eandem esse posse, qua vetus Aegyptiorum natio vsa est. Accedit, quod huius discriminis indicia insunt in verbis Aegyptiacis a V. T. scriptoribus, a Graecis et Latinis ex illa aetate seruatis. Exempla habes apud Jablonskivm (Opusc. T. II.), De Rossivm (Etymol.), Qvatremarivm (Recherches sur la litt. Eg.), alios.

11) Hac in descriptione persistere possumus, dummodo non neget: 1) deorum, hominum, animalium atque rerum parum cognitarum imagines huc etiam spectare; 2) simulacra nunc clarius et accuratius, nunc obscurius et negligentius efficta idem sibi velle; 3) quoduis hieroglyphicum, siue perfectum, siue rude suis lineis definiri; 4) denique ideas etiam et actiones hoc modo exprimi potuisse.

12) Quicunque systema hieroglyphicum exstruxerint, iis, qualis nunc est diplomaticae Aegyptiacae ratio, quinque obseruanda erant, scilicet 1) vt id, quod doceretur, per se esset probabile; 2) ne repugnaretur iis monumentis, quibus translationes et transscriptiones textuum hieroglyphicorum additae sunt; 3) vt placita cum argumentis e locis parallelis congruerent; 4) ne hieroglyphice inuenta obuersaretur legibus, quae paene eaedem sunt, scripturae hieraticae; denique 5) vt veterum testimoniis disertis satisfieret. Haec ad praecepta singula placita examinabimus, ita vt praecipue prouocetur ad inscriptionem Rosettanam et demoticam et hieroglyphicam et graecam, ad scarabaeos et papyros hieroglyphicos aliosque locos, quae easdem sententias eosdemque versus repetunt, denique ad verba sacerdotali ratione scripta, quae respondeant hieroglyphicis, nec non ad orationis seriem.

13) Haec opinio, quam Kircherus praecipue tuitus est in suis voluminibus sex hieroglyphicis, eo constat, vt verbi caussa leonis imago significet leonis vocabulum, hominis species hominis notionem. Eius generis scriptura proprie nulla lingua vtitur nisi ideali quadam vel omnium populorum communi, vt supra diximus. Quaeuis natio in videndis eiusmodi imaginibus, cum recitaret, sua verba adhiberet veluti pro leone ⲙⲟⲩⲓ, ארי, אריה, ܐܪܝܐ, عنبس, አንበሳ, *lion*, *leone*.

nequit, quoniam sic oratio integra non nisi obscure et ambigue scribi potest [14]), hieroglyphicorum numerus non sufficit tantae notionum copiae [15]), singula hieroglyphica sibi non constant [16]), quoniam denique, vt alia mittamus, obstat inscriptio Rosettana [17]).

---

14) Qui tradunt veterem Aegyptum talibus hieroglyphicis scripsisse, quid credant, non satis reputasse videntur. Fac, recte se habere, quae CLEMENS ALEXANDRINVS tradit (Stromat. L. V. c. 7. p. 670.), Diospoli in vestibulo expressa fuisse puerum, senem accipitrem, odii piscem, crocodilum, quae ille interpretatur: *o qui nascimini et interitis, deus odio habet impudentiam;* (*φαινεται τοινυν*, inquit, *συντιθεμενον το παν συμβολικον δηλωτικον ειναι ταδε· „ὁ γινομενοι και ἀπογινομενοι, θεος μισει ἀναιδειαν.*"); nullo pacto concedi potest, hanc fuisse hieroglyphices rationem. Quid impedit, quominus alius legat: *iuuenis et senex, deum impudentem odio habeatis*, vel: *iuuenem et senem deus odit impudenter.* Si hieroglyphica significassent vocabula; adesse debuissent notae, quibus discernerentur substantiua ab adiectiuis, verbis, aduerbiis, nominatiui casus a reliquis, personae a personis, modi a modis. Quod si factum fuisset, quot signa, quaeso, suffecissent ad vnius hieroglyphici potestatem definiendam? Ceterum non intelligitur, quomodo particulae orationis, quomodo res ideales et in obtutum humanum non cadentes pingi potuissent. Is mihi magnus sit Apollo, qui verba, quae vltimus versus inscriptionis Rosettanae habet: *hicce lapis cum scriptura sancta, vulgari et Graeca erigatur in templis totius Aegypti iuxta imaginem Ptolemaei Epiphanis;* quacunque demum ratione placeat hieroglyphice scripserit, sed ita, vt quiuis, tradita claue, eandem sententiam percipiat.

15) Negari nequit, Aegyptiacam linguam prae omnibus excellere, vti conuenit nationibus eruditis, notionum abundantia et distinctione, atque scripta hieroglyphica non solum ingenti numero, sed etiam diuersissimo argumento et indole seruata esse e tempore, quod duo saltem millia annorum amplectatur. Nihilominus ii, qui hieroglyphicorum numerum computarunt, vix mille formas reperierunt (conf. CHAMPOLL. *Précis du syst. hier.* p. 263. sqq.); ex quo sequeretur, illis in scriptis nonnisi mille verba adhibita esse diuersa.

16) Quum singula signa notionum potestatem haberent; possent quidem nunc clarius et elegantius scribi, nunc negligentius, neutiquam vero deberent cum aliis signis commutari, quae aliam sententiam proderent. Sic verbi, quod YOVNGIVS (Account of some recent discoveries in hierogl. lit. Lond. 1823. p. 158.) pro *consecratum* sumit, signum primum ita adumbratur in Obelisco Barberino et alias, vt imagines nunc canum, nunc lacertarum vel testudinum oriantur, qui rem suspensam adedant (vid. Tab. I. n. 1. 2. 3.). Quiuis autem concedet, horum animalium diuersum esse debere significatum atque quadruplicem imaginem non congruere cum prima illa vna.

17) Non multum acuminis requiritur ad inueniendа loca Rosettanae inscriptionis hieroglyphicae, quibus respondeant loca sacerdotalis, atque ad significandum, quid hieroglyphicorum

II.

Hieroglyphica sunt signa verborum pro voluntate inuentorum electa aut singula, aut coniuncta, aut denique nunc singula nunc coniuncta [18]. Quae argumenta autem vetant, quo minus hieroglyphica pro notis rerum, quas significent, sumantur, eadem obstant priori etiam sententiae. Secunda cadit, quum eiusmodi figurarum consociationes cum aliis comparantur [19])

quidam ordo valere debeat secundum versionem additam. Sic Lin. VI. inter verbum primum et quintum a sinistra non possunt contineri, quam Graeca: *ἡ προσονομασθήσεται*; atque Aegyptiaca: *sch ne emiynee eerscho* (vid. SPOHN. de ling. et litt. v. Aeg. p. 12. L. XXIII. 5.). Quodsi vero singula hieroglyphica notiones significarent; illo in loco non tria vocabula sed tredecim continerentur. Hinc accidit, vt KIRCHERVS negaret, Hermapionis interpretationem Obelisci Ramessensis, quae recte se habet, quoniam non satis verborum haberet (Obelisc. Pamphil. p. 151. sqq.).

18) Hanc sententiam aluerunt PALINIVS (Analyse de l'inscript. en hierogl. Dresd. 1804.), SICKLERVS (OKENII Isis ab anno 1821.), YOVNGIVS (Account of some rec. disc. p. 155.), CHAMPOLLIONVS (Précis du syst. hier. p. 282. col. 275.) magna ex parte, alii. Differret autem haec scriptura a mimetica illa, quam modo diximus, eo, quod ad notiones exprimendas non adhiberetur cuiusuis rei sua imago, sed eligerentur pro lubitu aliae. Hinc leo pictus non leonem significaret, sed veluti hominem, auem, actionem, particulam quandam grammaticam, vel alia quaeuis. Huius scripturae hanc legem fuisse coniicit SICKLERVS (lib. cit.), vt, cum Aegyptii Hebraice vel Semitice locuti essent, imagines rerum pro iis notionibus adhiberentur, quae simili ratione pronunciarentur. Sic secundum paronomasiam pennae imago significat *loqui*, quoniam Arab. عبر inter alia est *loqui* atque Hebr. et Syror. *penna* אבר, ܐܒܪ sonat. Contra monendum, quod Aegyptii peregrina lingua vti non potuerunt (vid. §. 3.), quod cum vnius rei imagine non solum multa verba, sed varios etiam verborum significatus comparare licet, quod denique verba comparata atque significatus eorum, qui quadrent, longe serioris aetatis sunt.

19) Sic hieroglyphica, quae KIRCHERVS vertit (Ob. Pamphil. p. 510.): *vitam dat rebus omnibus*, CHAMPOLLIONVS (Précis du syst. hier. p. 84.): *ceci est l'aspect, la maniere d'être, la présence ou la ressemblance*, atque YOVNGIVS (Account of some rec. disc. p. 156.): *immortal*, ita mutantur, vt recognosci non potuissent (vid. Tab. I. n. 7 — 18.). Quum hieroglyphorum coniunctio quaedam notionem expressisset, seruari debuissent signa electa, neque vero cum reliquis fere omnibus commutari. (Plura exempla habes in CHAMPOLL. Prec. Tab. general. n. 5. YOVNG. Account. p. 153. sqq.)

atque ad sacerdotalem scripturam referuntur [20]). Vtraque ratione tertia etiam opinio reuellitur [21]).

III.

Hieroglyphica merae sunt literae, quas nos dicimus [22]). Haec sententia, licet a pluribus proposita [23]), a nemine adhuc, quod equidem scio, pro-

20) Sic verba (vid. Tab. I. n. 18 — 21.), in quibus nunc bina signa, nunc singula congruunt, ita distinxerunt (vid. KIRCH. Obel. Tom. III. p. 428. CHAMPOLLION. Précis. Tab. gen. n. 91. 93. 103. 101. YOVNG. Account p. 153. s. n. 12. 14. 15. 16.) vt n. 18. sit symbolum *Osiridis* (*nom ordinaire d'Osiris considéré comme roi de l'Amenti, ou demeure des ames*), n. 19. symbolum Isidis, n. 20. symbolum Nephthyos, n. 21. symbolum Athoris siue Hathoris et Athyris. At haec verba in scriptis hieroglyphicis non solum promiscue adhibentur (vid. Papyr. Cadet. coll. pap. Berolin. No. 8., vbi eadem carmina et carminum partes reperiuntur), sed etiam in hieratica scriptura (vid. Tab. I. n. 22.) paribus in locis non distinguuntur. (Vid. Pap. Cadet. v. l. coll. Pap. Par. Descript. de l'Eg. L. 84. Pl. 62. L. 78. P. 60.). Quum enim aliud sit, invocare Osiridem atque Isidem, quumque haec carmina a sacerdotibus memoriter comprehendenda fuerint (vid. Clemens Alex. Strom. Lib. VI. c. 4. p. 757. col. nost. lib. *Bemerkungen über die Aeg. Pap. auf d. K. B. z. B.*); deorum dearumque nomina nuspiam inter se confundi debuissent. Ceterum vt verbum Tab. I. n. 18. pro symbolo Osiridis sumeretur, effecisse videtur Pap. Cadet., cum ibi iuxta Osiridem sit scilicet inter alia illud etiam verbum. Hinc reliqui errores. Inde enim conclusisse videntur fere sic: quum illa hieroglyphorum complexio significet Osiridem, alia quaedam simillima, significet necesse est numen simillimum, ergo Isidem. Porro quum differat vtraque complexio; id, in quo differat, distinguere debet vtramque personam et sexum, ex quo sequuntur, dolabram (vid. Tab. I. n. 23. col. CHAMPOLL. Préc. Tab. gen. n. 29 — 32., YOVNG. *Account* p. 153. n. 1. 4.) significare deum, personam sedentem (n. 24.) vero deam, duo rotunda (n. 25.) genus femininum. Reliqua non moramur.

21) Exempla allata docent, quibus argumentis hac in re vti possemus. Monuisse sufficiat, si verborum notiones nunc singulis, nunc pluribus hieroglyphicis significatae fuissent, aut nusquam aut rarissime signorum complexus locum habere potuisse. Argumento est inscriptio Rosettana. (Vid. Lin. 12. hierogl. coll. L. 32. demot.)

22) Ex hac sententia per se clara veluti oris figura significat *n*, oculus *m*, alia alios sonos. At ne quid in ambiguo relinquamus, memorandum, sic potuisse etiam elementa orationis similia vno signo comprehendi, de quo alias diximus (Diss. de sonis vocal. Graec. p. 26. sqq.). Itaque cum *a* affine sit *ä* et *å*, de consonis *p* sono *f*; non improbabile esset, Aegyptios vno hieroglyphico *a*, *ä* et *å*, vno *p* et *f*, vt apud alias gentes obseruauimus (Ueber die ursprüngl. Laute der Hebr. Buchstab. p. 28.), significasse, reliqua autem elementa orationis humanae, quorum quindecim diuersa origine numerauimus, suis signis distinxisse. Ceterum, cum examen sit hieroglyphorum, vt apparet, ex hac sententia plura signa vnum eundemque sonum descripsissent Aegyptiis.

23) Vid. CAYLVS Recueil d'antiquités. Tom. I. Antiquit. Egypt. Pl. XXVI. col. p. 69 — 76., SPOHN. Memor. p. 22. seq., CHAMPOLLION. Précis du syst. hier. pag. 49. ss.

bata est. Attamen ne aliquis operam et oleum perdat hoc in negotio, duobus verbis cauere licet. Scilicet qui hieroglyphica pro literis sumant, ii integras inscriptiones nunquam legerint [24]), neque talia vocabula in locis singulis inuenerint, qualia contextus requirit [25]).

§. 5.

De hieroglyphicis nominum.

Quum nomina propria, quae in textus hieroglyphicos recipienda essent, neque mimetica ratione neque symbolica clare significari possent; admodum probabile est, vt apud alias gentes obseruarunt [26]), his in locis literas adhibitas fuisse ab Aegyptiis [27]). Veremur, vt haec etiam sententia recte se

---

24) Quemadmodum aliis in opinionibus aestimandis, ita in hac etiam inscriptio Rosettana primariam opem offert, ad quam ceu lapidem Lydium singula reuocanda sunt. Sic Lin. II. IX. ternae oris figurae reperiuntur coniunctae. Tribuas singulis signis sonum qualemcunque veluti *r* aut *n* aut *l*; nullum habebis verbum Aegyptiacum. Idem valet de tribus pennis Lin. III., tribus retibus Lin. VIII. al. Quid dicam de iis locis, vbi sex pluresue lineae parallelae exstant?

25) Scriptura hieroglyphica ita comparata est, vt aliquis prius possit omnes formas grammaticas nimirum mediis ex verbis eruere, quam verba legere, priusque glossarium scribere, quam textus interpretari; his autem nihil falsius cogitari potest, quum paullo accuratius in seriem orationis inquiratur. Sic Inscr. Ros. hier. L. V. (coll. Champoll. Préc. Tab. gen. n. 21.) legi possit Copt. ⲉⲣⲟϥ aut ⲍⲁⲣⲟϥ, vno verbo post ⲣⲓⲣ, *χοῖρος* (vid. Tab. I. n. 26. 27.); sed longe alia verba ibi secundum Graecam translationem atque demoticum textum desiderantur.

Ceterum quum hieroglyphica neque veluti imagines notionum, neque symbola earum, nec denique literae sint; sequitur, hieroglyphica hoc triplex officium ne vna quidem habuisse. Etenim superiora docent, ex hac sententia rarissime vocabulorum, nec nisi substantiuorum symbola adhiberi potuisse. Iam vero, quum pleraque hieroglyphica hinc pro literis sumenda sint; is, qui faciat interpretationis periculum, aut linguam habet procreandam non solum nouam et inauditam, sed etiam ne sibi quidem constantem, aut nunquam peruenit ad lectionem integrae inscriptionis.

26) Sic apud Sinenses *Spiritus* ita scribitur, vt literae singulae totidem verbis monosyllabis significentur, quorum litera prima eundem sonum habet, atque litera significanda. Apud Indos *pama* est pro *pm.* (Vid. Kopp Bilder und Schriften der Vorzeit. T. I. p. 80. 87.)

27) Hac de re egregie promeruerunt recentiores: Champollionvs (Lettre à M. Dacier), Yovngivs (Account of some recent discoveries in hier. lit.), Champoll. (Précis du syst. hierog.),

habeat, quum hinc facillima nomina legi non possint, alia ita enuncianda sint, vti nunquam et nusquam enunciata sunt [28]). Haec nominum hieroglyphica ita electa videntur, vt significent res, quae ab eo sono incipiunt, cum pronunciantur, quem significat hieroglyphicum, siue imago rei [29]). Contra obseruandum est, quod eiusmodi hieroglyphicorum relatio ad certa quaedam verba nimis artificiosa apparet [30]), quod de vno signo ad multa verba prouo-

---

Young (Hieroglyphics.). Scilicet offert sese hieroglyphicorum series ex inscriptione Rosettana, quae, cum Ptolemaeum significet, literas prodere videtur. Haec signa rursus ad alia nomina, quae circellis septa cernuntur, applicari possunt, ita vt incognitarum figurarum potestas coniectura inueniatur. Denuo haec signa tum genuina, tum coniecta referri possunt ad tertium quoddam, quartum, quintum nomen et sic porro, ita vt constanter hieroglyphicorum nouorum vis et significatus nitatur potestate hieroglyphicorum priori vel antecedente coniectura definitorum.

28) Inter alia haec sunt exempla. Si nomen 28. Tab. I. est CLEOPATRA, cultellus significat *e;* hinc eadem figura nominis ALKSANDRI (n. 29. Tab. I.) non potest valere *d*. Neutiquam vero neque hoc neque alia exempla negligentiae lapicidae dari possunt, cum figurarum delineatio praeiret excisionem atque facili negotio omissa litera addi potuisset. Cum leo est *l* in CLEOPATRA et ALEXANDER, non potest *r* significare in *καισ(α)ρ(ο)ς* (n. 31. T. I.), cuius loco est os alias (n. 30. T. I.). Eadem ratio est verborum *αὐτοκρ(α)τ(ο)ρ* (Tab. I. n. 32. 33.). Neque prouocandum ad dialectum Baschmuricam, quae raro ⲣ et ⲗ mutat, minime autem *Denderae*, *Memphi*, *Thebis* et alibi, vbi haec eiusque generis multa scripta sunt (v. Champoll. Lettre à M. Dac. p. 47.), audita est. Quodsi vero vulgus nonnulla Baschmurice enunciasset, proceres, a quibus haec scripta sunt, neque potuissent neque debuissent vulgarem vsum sequi.

29) Veluti ⲣⲟ est *os*, hinc oris figura pro *r* adhibita dicitur (vid. Champoll. Lettre à M. Dac. p. 12.). Eandem legem sibi scripsit Hebraicarum literarum auctor, quum eligeret exempli caussa dentis imaginem ad sonum *sch* significandum propter שִׁן dens (vid. Gesenii Lehrgeb. der Hebr. Sprache p. 4.).

30) Sic nisus (Lin.), *the sparrow hawk* (Angl.), vitae et animae symbolum fuisse dicitur, ex quo factum sit, vt, cum ⲁⲍⲓ, ⲁⲍⲉ vitam denotet, nisus vocalem *a* indicaret. Hinc ergo scientia symbolica antiquior sumitur scriptura symbolica. Leonis imaginem *l* significasse tradunt, quia ⲗⲁⲃⲟ, ⲗⲁⲃⲟⲓ leo sit Coptorum, aeque atque لبوة et לביה Sem. At Copt. ⲗⲁⲃⲟⲓ vrsam denotat (Apocal. XIV, 2.) atque conuenit cum Chald., Syr., Hebr., Arab., Aeth. דבא, דיב, دب, ድብ; imo ⲙⲟⲩⲓ potius leonem significat, qua de re illud hieroglyphicum *m* innuere deberet.

cari potest [31]), quod figurarum proprietas non seruatur [32]), quod denique carundem imaginum varia est potestas [33]). Caeterum ex hieroglyphicis nominum orta esse dicitur scriptura hieratica, inde demotica, atque omnis literarum vsus certe apud Aegyptios, quod pugnat cum disertis et claris veterum testimoniis [34]).

---

31) Consona ⲕ (vid. T. I. 34.) pro imagine casae (ⲕⲁⲗⲓⲃⲓ) sumi potest, verum quoque pro spelunca (ⲙⲁⲛ̀ϫⲱⲡ), tabernaculo, domicilio (ⲙⲁ ⲛ̀ ϫⲱⲓⲗⲓ, ϣⲱⲡⲓ), pro scabello (ⲙⲁ ⲛ̀ ⲥⲉⲙⲛⲓ, ϩⲉⲙⲥⲓ) altari aliisque. Tibiam pedis, cruris (*κνημη*, Copt. ⲥⲏⲃⲓ) significare potest n. 35. T. I., rectius scalam (ⲙⲟⲩⲕⲓ).

32) Sic habes coturnicem (*the quail*) ⲙⲉⲥⲓⲱϯ ⲙ̀ⲡⲉⲣⲓ (ⲏⲣⲓ) pro niso Tab. I. 32. 29., picum pro coturnice n. 36. 37. 38. (vid. inscr. Ros. Lin. 11. et 12.), aliasque aues pro aliis (n. 39. e nomine *Cleopatrae*).

33) Scarabaeus apud KIRCHER. (Oed. T. III. p. 524.) habet nisum vel coturnicem pro iugo in scarabaeo Zoegae (de Obel. praef. p. XV.). Vid. Tab. I. n. 40. 41. Confer. n. 42. 43. 44., quae sunt e Scarabaeo NIEBVHRII, RIGONIS et supra dictorum. Inde apparet, si iugum significat *n*, auiculam etiam KIRCHERI, siue coturnicem, siue nisum, siue picum, *n* valere. Idem probatur tribus verbis sequentibus ex iisdem hymnis scarabaeorum. Habes T. I. n. 8. lineam fractam pro sceptro n. 16. (col. n. 39.) et lineam n. 18. (col. n. 44.) pro manu n. 12. (col. n. 28.). Quodsi vero manus (ⲧⲟⲧ) significasset *t* propter figuram et nomen rei, linea fracta etiam siue aqua, linea recta, sceptrum quoque eundem sonum indicassent; sin sceptra bina habuissent pro *s*, eundem sonum manus etiam tenuisset.

34) Loco nobilissimo (Strom. L. V. c. 4. p. 657.) Clemens Alex. narrat: *αὐτικα οἱ παρ' Αἰγυπτιους παιδευομενοι πρωτον μεν παντων την Αἰγυπτιων γραμματων μεθοδον ἐκμανθανουσι την ἐπιςολογραφικην καλουμενην· δευτεραν δε την ἱερατικην, ᾗ χρωνται οἱ ἱερογραμματεις· ὑςατην δε και τελευταιαν την ἱερογλυφικην.* Diserte, inquam, scriptura demotica prior dicitur hieratica, hieroglyphica autem omnium vltima et postrema (*ὑςατη δε και τελευταια*). Faciamus autem, Clementem aut errasse aut deceptum esse; id saltem nemo neget, quemuis hieroglyphicas literas post reliquas didicisse. Iam vero qui hieroglyphicam scripturam cum hieratica et vulgari contulerunt, facile obseruarunt, illas figuras certas et simplices, has vel maxime obscuras, incertas et ambiguas esse. Hieroglyphica duabus pluribusue lineis rerum imagines describunt, dum hieratica et vulgaris ratio vix ac ne vix quidem monogrammata leuia pingit. Eam ob causam, si recte se haberet illa sententia, literarum studiosi non a demotica scriptura, sed ab hieroglyphica incipere debuissent, praesertim cum libri Aegyptiorum sacri, quorum cognitio accuratior sacerdotibus competebat, quorumque hymni ediscendi erant, hieroglyphica ratione conscripti fuerint (vid. Fabr. bibl. Gr. T. I. 100. sqq.). Hoc mihi alius credat Aegyptios eas literas, ex quibus reliquae ortae sunt, posterius didicisse. Atque has nominum propriorum literas pro ipsa claui scripturae

CAP. I.
DE HIEROGLYPHICIS IN VNIVERSVM.

§. 6.

C l a u i s.

Clauis scripturae hieroglyphicae est principium, a quo reliquae leges tamquam riui ex vno fonte deduci possunt. Duo autem, vti vidimus, requiruntur ad lectionem primaria, vt sciamus, et quanam lingua sit scriptum hieroglyphice, et quid significent hieroglyphica. Ad vtramque quaestionem vix concinnius et aptius responderi potest, quam duobus veterum effatis:

I. Lingua hieroglyphica est *ἱερα διαλεκτος* [35]).

II. Hieroglyphica *οὐκ εἰσι γραμματα, μαλλον γραμματων συμβολα* [36]).

---

hieroglyphicae habuerunt (vid. CHAMPOLL. Précis du syst. hier. p. 11. sqq.); quae sententia optime eo reuellitur, quod nondum habemus vllius inscriptionis, quid? quod vllius versus vel versiculi hieroglyphici rectam interpretationem.

35) Sunt verba Manethonis, sacerdotis Aegyptiaci, qui regnante Ptolemaeo Philadelpho (286 — 247 a. Ch.) historiam Aegypti ex ipsis inscriptionibus hieroglyphicis, libris sacris actisque publicis e templorum adytis concinnauit. Locus est apud Georgium Syncellum in chronographia p. 40. ed. JAC. GOAR. Par. 1652.: *Μανεθω χρηματισας ἐκ των ἐν τῃ Σηριαδικῃ γῃ κειμενων ςηλων, ἱερᾳ, φησι* (Manetho), *διαλεκτῳ και ἱερογραφικοις γραμμασι κεχαρακτηρισμενων ὑπο Θωθ, του πρωτου Ἑρμου, και ἑρμηνευθεισων μετα τον κατακλισμον ἐκ της ἱερας διαλεκτου εἰς την Ἑλληνιδα φωνην* etc.

36) Verba Cosmae Indicopleusti (Cosmograph. p. 161. v. Montfauc. Collect. nou. Patr. T. II.), vbi tradit, Mosen didicisse *γραμματα ἱερογλυφικα, μαλλον δε συμβολα γραμματων.* Sic Cassiodorus etiam hieroglyphica non pro literis, sed pro signis quasi literis sumsit (Chron. ad Theodor. Reg.). *Obeliscorum*, inquit, *prolixitas ad Circi altitudinem subleuatur, vbi sacra priscorum Chaldaicis signis, quasi literis indicantur.* Apprime huc facit locus Clementis Alex. (Strom. Lib. V. c. 4. p. 657.): *μεθοδος ἱερογλυφικη ἐστι ἡ μεν δια των πρωτων ςοιχειων κυριολογικη.* Verbum *κυριολογικης* sequenti *κυριολογεισθαι* illustratur, vt sit *proprie, non tropice dicere* (vid. Eustath. Od. p. 741.) et *scribere. Στοιχεια* autem Graecis sunt, vt satis constat, vbi de scriptura agitur, merae literae. Itaque sensus est: *ἱερογλυφικα* per literas, quae iis subsint, quas significent, loquuntur. Itaque non ipsa sunt literae, sed literarum signa. His accuratioribus et clarioribus veterum testimoniis non repugnant reliqui scriptores, qui hieroglyphicorum mentio-

§. 7.

De dialecto sacra.

E verbo dialecti, quo linguam hieroglyphicam veteres insigniuerunt, satis clarum est, hanc neque conuenisse cum vulgari, neque diuersam plane fuisse a Coptica [37]). Differt autem dialectus sacra a Coptica partim elemen-

---

nem iniecerunt. Videantur *Abeneph.* Arab. verba ap. Kircher. (Ob. Paupl. p. 124. c. II.), Herodot. L. II. c. 36., Diod. Sic. Libr. I. c. 55. L. III. c. 3., Plat. de leg. L. VII. (T. II. p. 819.), Philo in vita Mos., Porphyr. ap. Euseb. (Praepar. Eu. L. I. c. 10. p. 55. sqq.), Jamblich. de Myst. sec. VIII. c. 5. col. sect. I. c. 5., Apuleius p. 386. in. vs. D., Heliodor. Aethiop. L. II. p. 116. L. IV. p. 174., Ruffin. Hist. eccl. L. II. c. 26. 29., Orig. ep. ad Rom. (ed. Paris. T. IV. p. 495.), Socr. hist. ecc. L. V. c. 7.), Ammian. Marc. L. XXII. c. 15. al. Ceterum nihil interest scire, vtrum Cosmas habuerit interiorem hieroglyphicae scripturae notitiam, vtrum illa ab Aegyptiaco sacerdote acceperit aut coniectura assecutus sit, vtrum locus aut integer aut ex parte spurius irrepserit in textum, nec ne; dum modo haec via ad metam ducat. Idem valet de reliquis locis allatis. Etiam non dubito, quin multi iudicent, nullum discrimen esse inter literas et literarum notas vel symbola; sed, si quid video, hac in re versatur cardo. Quum enim aliter statuerent, fieri sane non potuit, vt, etiamsi recte vidissent de lingua hieroglyphorum, aliquid perfecti et certi eueniret.

37) Vno dialecti vocabulo omnium sententiae refelluntur, qui veterem Aegypti linguam aut Copticam aut e regione a Coptica diuersam iudicarunt. *Διαλεκτος* enim plerumque non nisi speciem linguae pro gentis cuiusdam moribus atque regionis situ differentem significat, atque disertis verbis Manetho (ap. Syncell. l. c.) distinguit *διαλεκτον* atque *φωνην*. Itaque quod sacram Aegyptiorum dialectum negamus diuersam fuisse a Coptica, id eatenus tantum recte se habet, quatenus vnius linguae variae eaeque valde discrepantes esse possunt dialecti. Quo iure autem v. c. dialectus Gothica, aut Latina singularis linguae nomine appellari merentur, si comparantur illa cum Germanica, haec cum Italica, Gallica, Hispanica; eodem etiam veterem Aegyptiorum siue sacram dialectum singularem linguam vocare licet. Haec propterea monenda sunt, ne, cum inter hieroglyphica inciderimus in verba Copticis simillima, inde vnicam faciamus deductionem et interpretationem, neque cum oblata fuerint vocabula parum Copticis similia, nimis haereamus et vanis coniecturis nitamur. Vellem, cum diuersae res diuersis nominibus appellandae sint, pro veteri Aegyptiorum lingua *Chamicae* nomen vsurpetur breuitatis caussa. Etenim חָם, حام antiquitus dicta est Aegyptus (coll. חמם, ϧⲉⲙ, vel חום, حم, ⲬⲀⲘⲈ, ⲔⲀⲰⲈ Hieron. Ps.: „Ham, a quo Aegyptus vsque hodie lingua Aegyptiorum dicitur Ham"), quae enunciatio subest etiam scriptioni *chme* (v. Spohn. de ling. et lit. v. Aeg. p. 1. L. 1. 4. p. 50. Sp. XV. 3.). Inde orta sunt seriori aetate Coptorum ⲬⲎⲘⲒ, ⲔⲎⲘⲈ, Graecorum *χημια* (Plut. de Iside) atque nostra *chemia, chemicus, alchemia.*

tis seu verbis, partim legibus grammaticis [58]). Inter dialectum autem sacram atque profanam veterem Aegypti omnia intersunt, quibus differt re-

58) Lingua Graeca inde a Ptolemaeorum aetate adeo inualuit in Aegypto, vt non solum in foro actisque publicis adhiberetur (vid. Am. Peyron, Prof. Taurin. Untersuch. üb. Pap., kopt. Handsch. etc. p. 14. et lib. nost. Bemerk. üb. d. Aeg. Pap. z. B. p. 30.), sed in vitam etiam vsumque communem breui tempore veniret. Hinc accidit, vt Coptica lingua permulta Graecorum verba, patriis non paucis missis, reciperet, atque in vniuersum colorem quendam Graecum nancisceretur. Porro Coptica lingua multis saeculis serior est ea, qua vetus Aegyptiorum natio vsa est. Inter omnes autem constat, quantopere vnius saeculi delapsu linguarum proprietas, praesertim, quod in Aegypto obtinuit, si Homero suo caret, mutetur. Accedit, quod Coptica lingua magis ad vulgarem vsum, quam procerum elegantiam spectat. Libri sacri, per quos solos lingua Aegyptiorum seruata est, non sacerdotum gratia in linguam Copticam translati sunt, sed in commodum vulgi, inter quos res Christiana, vti semper accidit, primos cultores et plurimos habuit. Reliqui vero Coptorum libri, qui aetatem tulerunt, ex ea aetate sunt, qua lingua bibliorum summa auctoritate et propagatione gauderet, ita vt nemo non, vt alias accidit, eam posset imitari. Iam haec argumenta satis probant, veterum Aegyptiorum linguam multis numeris non posse non differre a recentiore siue Coptica, quod exemplis innumeris demonstrare possemus. In genere monendum, veterem Aegyptiorum loquendi vsum multa verba verborumque compositiones, quibus careat Coptica, habere, alia aliter scribere, ita vt saepenumero conueniant non nisi duabus vnaue litera, multis nouam vel obsoletam potestatem tribuere, singula verba aliter flectere et inter se coniungere. Sic particula שא (Insc. Ros. L. XIII. VI. v. Tab. 45. 6.) in Copticis libris pro *vt*, *ἵνα* non reperi. Ibid. L. VI. X. (v. T. I. 4. 5.) leguntur מהיני נכרשו, Copt. ⲉⲣⲙⲏⲓⲛⲓ (ⲉⲣⲙⲁⲉⲓⲛ Zoeg. Cat. Mss. Copt. p. 312.) ⲛ̀ϫⲉ (pro ⲛ̀ⲉⲣϫⲉ, quod non exstat), i. e. (vt) signentur ad dicendum; in scarabaeo Kircheri (Oed. T. III. p. 524. v. T. 1. n. 41.) נוֹר pro Copt. ⲛⲟⲩϯ; in statua Memnonis בורו (v. T. I. n. 45. a) pro Copt. ⲟⲩⲣⲟ, ⲡⲣⲟ, ⲡⲣⲱ, ⲉⲣⲟ ⲉⲣⲱ ⲡⲉⲣⲟ (Zoeg. Cat. p. 305.), Hebr. פרעה col. فرع. Sic insc. Ros. L. XIII. (v. Tab. I. 46.) habet וכוכוכ, quod pro plurali quodam maiestatico accipiendum, cuius exemplum est in demotica parte L. XXIII. XXV. XXII. al. (Spohn. lib. I. p. 12. sqq.), velut templa templorum. Omnis haec atque alia quaeuis inter veterem et recentiorem Aegypti linguam diuersitas illustratur et quasi praefinitur legibus, quibus linguarum naturae mutantur, quas alias exposuimus (de son. litt. Graec. p. 643. sqq.). Ceterum totius orationis Chamicae color ex ipsis scriptis dignoscendus, atque in vniuersum hac de re iudicare tum demum licebit, quum omnia scripta hieroglyphica cum commentariis suis, quorum exempla dabimus, in lucem prodierint.

Liceat vocabula Aegyptiaca constanter literis hebraicis reddere, quippe quae optime conueniunt. Si vteremur literis Copticis, praeuerteremus interpretationem. Adhibebimus א pro *e*, י pro *i*, ה et ע pro *é*, ו pro *u*, וֹ pro *o*, atque singula pro sonis his affinibus veluti *ä å ö*. Reliqua genuinam suam potestatem obtinebunt (v. lib. n. Veb. d. vrsp. Laute d. H. B.). Accedunt ⲁ pro *a*, et ϥ pro *f*, quae efficiunt quinquaginta quinque illas Aegyptiorum literas apud Plutarchum (De Isid. et Osir. p. 374.).

centior oratio a veteri nationis cuiusque magis subinde artium et literarum humanitate eruditae [39]).

§. 8.

De origine hieroglyphicorum.

Postquam Aegypti literas nacti elegantius scribere didicerant, inde sensim sensimque hieroglyphica orta sunt [40]). Hieroglyphica enim

39) Negari nequit, linguam hieroglyphicam conuenire cum ea, quae deprehenditur in scriptis demoticis et hieraticis ex eadem aetate quamque SPOHNIVS b. primum expediuit; exstant tamen inter vtramque discrimina, quae antiquitatis studio adscribenda videntur. Sic lapis Roschidicus scribit hieroglyphice מנתננוא pro demotico *methnenuo* vel *methnenue* (SPOHN. lib. I. p. 17.), item מנתננהי pro *methnnei* i. e. proprie *diuinitas* et *vulgaritas* (v. Tab. I. n. 47. 48.). Vidimus dialectum Memphiticam cultissimam esse linguae Copticae, Sahidicam vero magis ad veterem asperitatem vel raucedinem adspirare (lib. n. De son. litt. Gr. p. 117. 136. s. col. p. 315.). Hinc apparet, illam scriptionem מנח, quam habet Sahidica dialectus, nusquam vero Memphitica, quae vsurpat מאח, antiquiorem esse. Quamquam itaque *ἱερογραμματεις* veterem loquendi rationem, vt recte vidit ZOEGA (De Ob. p. 457. 549.) retinuerunt, scripserint tamen necesse est ita, vti ferret aetas et vita communis. Atque ob eam caussam Aegyptii dixerunt linguam hieroglyphicam dialectum sanctam, quod posteri priorum orationem et simplicitatem, qua libri sacri etiam scripti erant, subinde exolescere viderent.

40) Iisdem literis, quas Hebraei, hinc Graeci primum aliaeque gentes in vsu habuerunt, Aegyptii etiam initio scripserunt, quod non solum figurae, sed etiam potestas, ordo et nomina communia produnt. At demonstrari etiam potest, quod ab hoc loco alienum, Aegyptios literas accepisse a Phoenicibus. Literae non sunt nisi semel inuentae (conf. Zoeg. de Ob. p. 550.). A primaeuis siue demoticis Aegyptiorum literis hieraticae, si vniuerse disputamus, elegantia differunt, vti veteres etiam innuerunt. Literis vulgaribus apices et puncta addi (vid. Apuleii Metamorphos. L. II. p. 386. in v. D.), vt oriantur sacerdotales, rectissime se habet atque ex alphabetis infra expositis clarum fiet (v. Zoeg. de Obel. p. 435. sqq.). Constat, Thoutem e veterum sententia inprimis bene meruisse de literatura Aegyptiorum, siue hieroglyphica, siue sacerdotali, siue, quod probabilius est, vulgari (vid. Diodor. Sic. L. V. c. 57., Plut. de Is. et Os. c. II. Tom. II. p. 738., Euseb. Praepar. Eu. L. I. c. 10. c. 9., Plato Phaed. Tom. III. p. 274., II. p. 18.); sed cum huic Deo, quippe Hermeti siue Mercurio, tanquam symbolo mentis humanae, omnes fere artes inuentae adscribantur; id tantum inde sequi videtur, literarum vsum apud Aegyptios perantiquum fuisse. Nobilissimus locus est apud Ciceronem (De nat. Deor. L. II. c. 22.): „Mercurius Argum dicitur interemisse ob eamque caussam Aegyptum profugisse atque Aegyptiis leges et literas tradidisse.“ Denique hieroglyphica serius nec nisi paulatim orta esse, partim ex vetustissimis veterum testimoniis, partim ex inscriptionibus antiquissimis colligimus. Huc spectat Herodotus (L. II. c. 36.). *Αἰγυπτιοι*, inquit, *χρεωνται γραμμασι διφασιοισι και τα μεν αὐτων ἱερα,*

scriptura originem debet *καλλιγραφια* [41]). Qua de re figurae hieroglyphicae rectius et accuratius dicuntur partim literarum demoticarum,

---

τα δε δημοτικα καλειται, quae ita explicari possunt, vt dicas, tum temporis hieroglyphicam scripturam non defuisse, sed non adeo excultam fuisse, vt satis differret a sacerdotali, quemadmodum in papyris ex aetate Ptolemaeorum vel obeliscis recentioribus. Imprimis argumento sunt inscriptiones antiquissimae, quarum nominamus obeliscum Florentinum (v. KIRCH. Oed. T. III. p. 348.) atque lapidem CAILLAVDIANVM (Voyage à l'Oise de Theb. T. III. Tab. III.). Quamuis enim huius generis lineae pro hieroglyphicis in breue contractis vel negligenter exaratis haberi possint; potius sequuntur hieraticam scripturam, aut, si accuratius spectentur, magna ex parte vel ipsae sunt literae sacerdotales, in quibus occurrunt hieroglyphicae primae.

41) Concedimus, artem scribendi ex arte pingendi vel designandi natam esse (conf. Zoeg. De Obel. p. 526.); negamus autem, partim rerum imaginibus quaeuis generis cogitata significari potuisse, partim hieroglyphica Aegyptiorum, quae ad nos peruenerint, proxime non ex literis, sed e designatione prodiisse. Quemadmodum omnes fere gentes literas ita exornare consueuerunt, vt genuinam simplicitatem exuerent atque imaginum elegantiam susciperent, ita Aegyptii literarum monogrammata ad rerum species excoluerunt. Sic Armenii, ad quorum vsum maxime omnium prouocandum est (vid. KIRCH. Oed. T. III. p. 41. SCHROEDER. Thesaur. ling. Armen. P. II. Gramm. p. 1.), scribunt v. c. *Յուանն* ornatius ferreis suis literis (v. T. I. n. 50.), quae respondent hieraticis Aegyptiorum, ornatissime suis figuris hieroglyphicis (T. I. n. 51. col. n. 1. 2. 3.). Quaeritur autem, cum hieroglyphica signa literas significent, ad quodnam scribendi genus Aegyptiorum pertineant? Etenim secundum Clementem Alexandrinum, qui loc. l. dicit, *ιερογλυφικα κυριολεγουσι δια των πρωτων ϛοιχειων*, hieroglyphica aut e literis demoticis, aut hieraticis, aut aliis quibusdam, quae primum in vsu fuerint, orta esse putaueris. Soluitur quaestio, si hieroglyphica cum hieratica scriptura comparatur, quippe quae sola literas continet, e quibus, addita adumbratione, imagines oriri potuerunt. Atque Clemens Alex. *πρωτα ϛοιχεια* dicit hieroglyphica haud dubie more Graecorum, qui omnia simplicia rerumque elementa his verbis significant. Ceterum hieroglyphica e lineis hieraticis, neque vero hieraticas ex hieroglyphicis prodiisse tribus argumentis euincitur: I) *varia hieroglyphica ex una litera deriuata sunt.* Sic טט diuerse scribitur in scarabaeo ZOEG., NIEBVHR. et RIGON. (vid. Tab. I. n. 52. 53. 54.); sed omnes illae figurae ט in vno hieratico ט originem habent (v. n. 55.). Item valet de ש verbi שא ex pap. Cadet (vid. n. 56 — 63.), quae ad vnum omnia ex hieratico ש profecta sunt (v. v. 64.). II) *literae hieraticae, quarum partes aut disiunctae sunt, aut parum cohaerent, duobus pluribusue hieroglyphicis* pinguntur. Sic צ in כצ (vid. T. I. n. 65. 66. 67.) figura inclinantis atque tribus punctis significatur, quia hieraticum צ in duas partes dissolui potest et dissoluitur (v. n. 68 — 70). Item ש hieraticum (v. n. 71.) redditur anseris imagine et linea (v. n. 72.). III) *binae literae hieraticae disiunctae vna imagine comprehenduntur.* Sic אנ (vid. Tab. II. n. 1.) in labyrinthi figuram mutatur hieroglyphice (vid. n. 2.), כיר duobus tantum signis redditur (v. n. 3. 4.). Eadem ratione demonstratur, hieraticas etiam literas e demoticis ortas esse. Quodsi vero hieroglyphica signa prius exstiterint quam hieratica: singula hieroglyphica varias formas hieraticas progignere debuissent, neque vero contra; hieroglyphica non bina vel terna, sed singula singulas hieraticas literas prouocassent; denique ex vno hieroglyphico non duae hieraticae literae, sed vna tantum, nasci potuissent.

partim hieraticarum, partim denique rursus suorum characterum signa siue symbola [42]).

§. 9.

De numero hieroglyphicorum.

Quamquam nonnulli figuras hieroglyphicas enumerarunt, respexerunt tamen magis similitudines imaginum, quam discrimina, atque neglexerunt lineas diacriticas, qua de re certe duo millia hieroglyphicorum distingui possunt [43]). Si quis vero maluerit hieroglyphica pro literis accipere, is habebit circiter sex millia [44]).

---

42) Vere principium esse hieroglyphices exornare elementa verborum, tribus argumentis probatur; 1) quod eaedem literae variis imaginibus exprimuntur atque imagines variis ornamentis augentur; 2) quod singulae hieroglyphicorum partes variantur; 3) quod variae sacerdotales literae easdem aut simillimas formas hieroglyphicas subeunt (vid. §. 16.). Sic in obelisco Lateranensi, Barberino, Pamphil., Sallust., statua Memnon., cistis mumiar. Berol. verba כח et נא variis auium et serpentium figuris scribuntur (Tab. II. n. 5—15.); sic litera כ nunc vasis, nunc capitis, nunc trianguli figuram assumit constante altera parte literae (v. 16—21. coll. Tab. I. n. 1. 2. 3.). Atque has ob caussas hieroglyphica partim suorum etiam symbola dicenda sunt, quod illustrabitur infra toto cap. III. Hieroglyphica autem multa literas etiam demoticas repraesentare, inde factum est, quod literae demoticae passim fere integrae vel parum ornatae et mutatae in scripturam hieraticam receptae erant. Sic demoticis א, מ, נ, ר, ש, ח (vid. Inscr. Ros. VII. 16. I. 12. XXVII. 21. XXXII. 29. XXX. 35. XVIII. 7. XXVI. 28. XV. 16. XXXII. 10. 11. 12. Tab. II. n. 21—26.) eadem fere figura est atque hieroglyphicis (vid. infra Glossar. v. l. et Tab. II. n. 27—32.).

43) Numerum hieroglyphicorum primum computarunt Brvcivs (Voyage aux sources de Nil. T. I. p. 135.), Zoega (De Obel. c. II. sect. IV. p. 497.), Champollion. (Précis du syst. hier. p. 264.), quorum ille DXIV, hi DCCCCLVIII vel DCCCC inuenerunt. Quamuis hac ratione hieroglyphica non distinguenda sint, quae nunc clarius nunc negligentius absque ornamentis variis scripta cernuntur; videntur tamen figurae similes vno numero comprehensae. Quum enim in paribus fere imaginibus adsint signa quaedam minutissima (vid. §. 15.), quibus illae distinguantur nunc binae nunc ternae; longe plures figurae numerari debent.

44) Possunt vtique ac debent hieroglyphica tamquam literae accipi; quod qui faciat, hanc viam ingrediatur. Omnis scriptura, quae vtitur literis inter se non nexis et cohaerentibus, cum a tachygraphis in papyris schedisque angustis colitur, vt accidit apud Aegyptios, singulis literis pro verborum varietate et literarum aut sequentium aut antecedentium habitu peruarias subinde figuras tribuit. Hae literarum species, cum singulae ornentur, totidem formas secundi alphabeti

§. 10.

De fatis hieroglyphicorum.

Non dubium est, quin scriptura hieroglyphica, initio simplicior, rudior et facilior, varias mutationes experta sit [45]). Subinde aucta videtur verborum compendiis et tropicis atque vim exercuit in reliqua scribendi genera [46]).

---

inde orti efficiunt, quae rursus ad easdem leges varientur vsu vitaque communi necesse est. Hinc tertium alphabetum oritur, quum literae secundi ordinis alia ratione et ornatae et variatae adhibentur. Vidimus, e demotica scriptura, quamuis quinquaginta quinque tantum literis genuinis constet, DCCCC literarum species inter se diuersas discerni posse (Spohnii Memor. p. 27.), ita vt quaeuis litera genuina fere tricies variata sit. Fac itaque singulas literas hieraticas aeque atque hieroglyphicas, vt in demoticis accidit, tricies variari; habebis numerum hieroglyphicorum $x = 25 \times 30 \times 30 \times 30 = 25 \times 30^3 = \frac{100}{4}. 27000 = \frac{2700000}{4}$ siue log. $25 + (3. \log. 30)$; hoc est $x = 675000$. Numerus autem hicce valde minuitur 1) eo, quod multae literae demoticae fere integrae in scripturam hieraticam, hinc in hieroglyphicam receptae sunt, 2) quod non omnes variationes demoticae in hieratica, neque hieraticae omnes in hieroglyphica scriptura locum habent; 3) quod literae demoticae similes hieratice pari modo ornantur, quodque hieraticae rursus similes hieroglyphicis confunduntur (vid. §. 15.); ita vt ad sex tantum millia hieroglyphorum singularium restent. Apparebit autem inde, hieroglyphorum sex esse genera, quorum *primum* contineat literas demoticas; *secundum* variationes demoticas; *tertium* literas hieraticas; *quartum* variationes hieraticas; *quintum* hieroglyphicos characteres; *sextum* denique horum variationes. Sic כ (insc. Ros. L. V. 1. vid. Tab. II. 27.[a]) variatio est demotica vulgaris כ (ib. n. 28.); sic ט (pap. Vien. ed. Hammer. vid. T. II. n. 28.[b] coll. 29.[b]) variatio est hieratica vulgaris hieratici ט; sic Tab. II. n. 16 — 21, 5 — 15. sunt variationes hieroglyphicae duorum כ genuinorum.

45) Nulla est ars, quae saeculorum decursu non mutetur, excolatur et varia incrementa capiat. Hoc cadere etiam in hieroglyphicam, non solum e veterum scriptis, sed e monumentis etiam huius antiquitatis colligitur. Ex loco Plutarchi (de daemon. Soc. T. II. p. 577.) apparet, literas Aegyptiacas variis temporibus, quod ipsa etiam scripta Aegyptiaca docent, varias fuisse; qua de re, cum literae variae varie ornari vel in rerum figuras traduci solitae sint, admodum probabile est, initio hieroglyphica pauciora eaque rudiora atque a sequentium aetatum ratione passim diuersa in vsu fuisse.

46) Scripturam hieroglyphicam omni tempore difficultatis aliquid habuisse, non tantum res ipsa loquitur, sed veteres etiam testantur (vid. Apvlei. Metamorph. L. II. l. c.). Sacerdotes enim soli eam factitasse aut penitus nouisse videntur (vid. Clem. Alex. Strom. L. VI. c. 4.), qua de re vulgus ex parte tantum eam didicit. *Πληθος των Αἰγυπτιων*, dicit Clem. Alex. (Strom. L. I. c. 85.), *ἐκ παιδων γραμματα διδασκονται ἐπ' ὀλιγον, οὐκ ἁπαντες, ἀλλ' οἱ τας τεχνας μεταχειριζομενοι μαλιςα.* Creuit difficultas, quum verborum compendia et hieroglyphica impropria, quae, quum absint a demotica et hieratica scriptura, serius inualuisse videntur, licet rara immiscerentur (v. §. 20. et Cap. IV.). Ceterum negari nequit, imagines hieroglyphicas

§. 11.

De proprietate hieroglyphicorum.

Vtut variae imagines in monumentis hieroglyphicis exstant, discerni possunt in singulis tres partes, quibus constant. Primariae lineae sunt, quae respondent literae, e qua prodiit hieroglyphicum, hieraticae; secundariae, quae efficiunt imaginem; tertiae ornant [47]). Tria haec linearum nunc

---

rursus in reliquas etiam scripturas irrepsisse. Literis ad rerum imagines expolitis, eaedem imagines rursus sed alia ratione in breue contrahi potuerunt, quo facto earum vsus erat inter demoticas et sacerdotales literas. Neque mirum id accidisse, cum *ἱερογραμματεῖς* ingentem literarum numerum partim demoticarum, partim sacerdotalium, partim hieroglyphicarum haberent ediscendum et adhibendum nihilque facilius esset errore. Sic א in inscr. Rosett. L. XXV. 18. XXX. 30. atque ו ib. L. XXVII. 9. 21. (vid. Tab. II. n. 30. 31. coll. 32.ª 33.) nec non כ hierat. (ib. n. 34. coll. 35. et Tab. I. n. 20.) mera fere sunt hieroglyphica. Haec est quaestio illa, quam nuper Academia proposuit, quam vim exercuerint hieroglyphica in scripturam vulgarem, ad quam respondendum est, hieroglyphica, quippe e literis vulgaribus orta, in scripturam, si vniuerse disputetur, nihil, raro in singulis aliquid effecisse.

47) Haec obseruare licet in iis potissimum hieroglyphicis, quae negligentius exarata sunt, veluti in papyro saxisque antiquissimis. In Tab. II. n. 36. 37. 38. habes literas ל, in quibus, si cum ל hieratico et demotico (n. 39. et 40.) comparantur, singulae partes ita distinguuntur, vt primaria linea sit in n. 36. ea, quae proxime ad hamum spectat, in n. 37. tergum, crus atque alter pes cum hamo, in n. 38. tergum, cauda et caput leonis; secundariae accedunt in n. 36. ea, quae clauae imaginem perficit i. e. dextra, in n. 37. alter pes, brachia, caput, in n. 38. lineae inferiores; tertiae pertinent in n. 36. ad hamum, in n. 37. ad caput, vt oriatur capillus, in n. 38. ad caudae partem. Figurae א n. 41 — 50. omnes pertinent ad א hieraticum (n. 51. et 52.), quum primariae sint in n. 41. scapus atque folium alterum, in n. 42. tergum cum genu, eaedem partes in n. 43 — 46., in n. 47. collum cum brachio, in n. 48. et 49. et 50. pennae, cultelli et securis partes exteriores et inferiores; secundariae in n. 41. 42. 43. 45. 46. sedem praebent, in n. 48. 49. 50. 44. et 47. figuras accuratius circumscribunt; tertiae ornamentorum loco addunt in 41. alterum folium, in 42. caput, in 43. barbam, in 45. insignia Osiridis, in 46. brachia, in 47. pedes, in 48. 49. 50. manubrium. Sic ex hieratico ט (n. 51.ᵇ) oriuntur hieroglyphica n. 52 — 60., si accedit vt secundaria in 52. linea superna, in 53 — 58. lineae sinistrae, in 60. et 59. rectae, atque vt ornamenta in 53. 54. 56. pupillae, in 52. angulus, in 55. linea recta in 57. 58. parallelae, in 59. pes, in 60. alterum cornu. Hieraticum נ (n. 61.) procreat auium variarum imagines n. 62 — 70., simul atque ad sinistram partem accesserit linea, quae tergum significat, infra pedes et alia ornamenta addita sunt (vid. verba נה Tab. II. n. 5 — 9.). Simili ratione oriuntur ר ex hieraticis lineis n. 72. 73. 74. coll. 71. Haec res tanti momenti est, vt plerumque e solis lineis, quibus singula hieroglyphica constant, earum potestas diiudicanda sit.

curuarum nunc rectarum genera, quamuis non vbique vna adhibeantur [48]), praecipue distinguunt scripturam hieraticam ab hieroglyphica [49]).

§. 12.

De ordine hieroglyphicorum.

Versus incipiunt aut a dextra parte aut a sinistra, quod e situ literarum hieraticarum diiudicandum est [50]). Vtriusque generis versus, qui pas-

---

48) Non raro accidit, vt vnum tantum genus linearum aut duo, neglecto tertio, adhibeantur, quod praecipue obseruatur, quum vna aut duae lineae sufficiunt partim ad distinguendas hieraticas literas ab hieroglyphicis, partim ad imagines sistendas. Sic differt hieraticum ש ab hieroglyphico vna recta imposita (Tab. II. n. 75. 76.) atque ט diagonali (n. 77. 78.). Saepenumero accidit, vt eandem ob causam hieraticae lineae tantummodo alias dilatentur (vt in ש n. 79. coll. 80.), alias flectantur (vt in ב n. 81. coll. 82.), alias coniungantur (vt in י et כ n. 83. coll. 84., n. 85. coll. 86.), alias diuellantur (vt in צ n. 87. coll. 88.), alias curuentur (vt in ל n. 89. coll. 90.), alias frangantur (vt in א n. 91. coll. 92.), alias similes easque minutas mutationes subeant. Atque haec est primaria caussa, quod multi rationem hieroglyphicorum non satis perspexerint. Scripta enim demotica et hieratica, a quibus via est ad hieroglyphica, aetate priori non cognita vel non curata sunt.

49) Sunt peruarii gradus a breuissima ratione hieroglyphice scribendi ad accuratissimam et diligentissimam, quorum saltem tres primarii distingui possunt. Ad primum pertinent hieroglyphica papyrorum et lapidum nonnullorum, quae literarum formas melius retinuerunt; ad secundum imagines statuarum et obeliscorum elegantiorum, quae, quippe artificiose excisae, propius ad veritatem adspirant; tertium veluti corporea constituunt. Huius generis hieroglyphica vidi in Museo Berolin., quae, cum nunc deorum dearumque, nunc mensarum, clauarum, auium, pedum formas prae se ferant, omni ex parte conueniunt cum scriptis atque excisis hieroglyphicis. Haec plasticae ac veluti manuales literae vel corpuscula videntur, cum omnes perforatae sint, in funiculis haesisse, siue vt pro amuletis gestarentur, siue a collis mumiarum, quod in Berolinensi accidisse videtur, pro nominum indiciis penderent, siue numorum et stipium partes agerent (vid. Cav. Gvil. di S. Qvintino Sull' uso, cui erano destinati i monum. detti scarab.). Quamuis autem trium horum generum hieroglyphica rerum imagines perfectas offerant aut affectent atque ficticia etiam repraesentent, id nacta non essent sine lineis iis, quas modo descripsimus. Plura exempla vid. infra in alphabetis.

50) Vid. tab. Bembina (Caylvs Rec. d'antiq. T. VII. Tab. XII. antiq. Aeg.), vbi initium est in mediis versibus, atque obelisci plerique. Tertium genus, quod Graeci βουστροφηδὸν appellarunt, nondum inueni, neque differt ab his diagonalis quaedam scriptura in nonnullis monumentis conspicua (vid. Kirch. Oed. T. III. p. 508. p. 118.). Quod vero neglexerimus hoc scribendi genus,

sim, cum columnarum angustia continentur, breuissimi sunt, id proprium habent, vt praecedentia sequentibus incumbant [51]).

§. 13.

De compositione hieroglyphicorum.

Perquam varia est ratio, qua singulae imagines ad vnum verbum spectantes disponuntur. Vbi alius est ordo hieroglyphicorum atque elementorum vocabuli, quod significatur, elucet nunc critica quaedam opera [52]),

---

quo hieroglyphica sese excipiant deorsum ac veluti descendant singulatim, dicamus sententiam. Latet nempe prior ratio, alioquin non solum singula hieroglyphica alterum sub altero constanter locum haberent, quod nusquam accidit, sed etiam imagines literarum non starent, imo iacere deberent. Hinc intelligitur locus Herodoti (L. II. c. 36.), quo Aegyptios dicit tum sacras, tum demoticas literas a dextra versus sinistram scribere. *Αἰγυπτιοι*, inquit, *γραφουσιν ἀπο των δεξιων ἐπι τα ἀριςερα (τα μεν ἱρα γραμματα, τα δε δημοτικα)*. (Conf. Zoeg. de Ob. p. 429.). Quamquam versus inter se coniuncti ab ea parte incipiant, qua incipit primus; occurrunt tamen scripta, in quibus contra est. Sic in obelisco Pamphilii in medio latere meridionali hieroglyphica protinus pergunt a sinistra ad dextram, quum antea a dextra ad sinistram se excepissent. Idem habes in obelisco Beneuentano (Zoeg. De Obel. p. 644.). Haec si quis *βουςροφηδον* scripta dicere maluerit, non multum aduersabor.

51) Versus hieroglyphicos passim breuissimos esse neque raro vnam tantummodo duasue imagines continere, nihil mirandum, cum spatii angustia atque imaginum extensio id ferat. Alia autem hieroglyphica aliis insidere, quod in versibus transmissis praecipue obseruare licet, inde factum esse videtur, quod idem in scriptura demotica et hieratica non raro obtinet, atque hieroglyphica pleraque magis in latitudinem quam altitudinem extenduntur. Hinc cum adhiberentur signa longiora, caueri debebat, ne quadrati, quod oriebatur, inferior pars aut superior vacua maneret.

52) Negari nequit ordinem, quo passim vnius verbi hieroglyphica veniant, multum difficultatis habere, quam non superaueris, nisi satis exercitatus sis in legendo. Plerisque in locis valent leges dictae. Scilicet scriptura demotica et hieratica verborum initia innuit curuitate quadam literae primae, quod fieri nequit in hieroglyphicis. Hinc verba a verbis sequentibus et praecedentibus ita distinguuntur, vt figurae adhibitae quadratum, si fieri potest, expleant atque desinant litera erecta pro iacente, quamuis illa adhiberi potuisset. Sic כאשמא *reliqua* (inscr. Ros. L. VII. XIII. al. v. Tab. II. n. 93. 94.) plerumque in tria puncta desinit, aut singula signa eius vna quasi sede collocantur. Sic legitur שיחה *erigere*, pro ושיה (Tab. II. n. 95. coll. 96. 97.).

nunc elegantiae studium [53]) nunc spatii captatio [54]). Solemnis est eleuatio secundae literae e verbis et syllabis trium literarum, quae variis transpositionibus occasionem praebet [55]).

§. 14.

De varietate scripturae hieroglyphicae.

Alterum fere principium constituit varietas scribendi, partim phonetica partim graphica [56]). Phonetica constat omissione, additione et permutatione

---

53) Quid elegans sit, sentiri magis quam demonstrari potest. Hanc vero legem Aegyptios secutos esse, ex eo apparet, quod hieroglyphicis collocandis aedificiorum contignationes aliarumque rerum monogrammata imitati videntur (vid. §. 30.). Sic scribitur סטוס *Sesotis* pro ססטוי (Tab. II. n. 98. 99. coll. 100.).

54) Huc spectant hieroglyphica, quibus alia inscripta sunt, vt in ככמא Aegyptus (T. I. n. 21.); כא (Tab. III. n. 1. 2.); huc scriptio פטול (n. 3.) pro פטלו (n. 4.) aliaque multa.

55) Exempla sunt כמא *Aegyptus* (Tab. III. n. 5. 6. 7. coll. Tab. I. n. 18 — 22.) כמאמ, כמאמא *Aegyptius* (n. 8. 9.), טרו *omnia* (n. 10. 11.). Quomodo eiusmodi verba legenda sint, ex aliis locis cognoscitur. Sic accuratius scribitur verbum כמא pro ordine elementorum (Tab. III. n. 12. 13. coll. Tab. I. n. 17. 20. 21.) aeque atque טרו (n. 14.). Hinc passim mira oritur eorundem elementorum dispositio, ita vt pro כמא legi possit מכא, מכ, כאמ (n. 14 — 20.). Accedit, quod inter eleuatum signum et submissa rursus ea collocari possunt, quae post priora elementa audiuntur. Hinc v. c. Tab. III. n. 23. legi posset מאכא pro כאמא.

56) Huius legis tanta vis est, vt eadem verba non solum aliis, sed etiam iisdem in scriptis fere nunquam plane eodem modo exarata appareant, quod glossarium illustrabit. Quoties vocabulum recurrit, toties aut accessit aliquid aut abiectum est, praesertim in lapidibus. Licuit cuiuis calamo, cuiuis cestro variare hieroglyphica. Ceterum videntur Aegyptii, cum subinde ingens hieroglyphicorum numerus hoc modo ortus sit, curasse, ne alicuius periret vsus vtque variatio delectaret. Caue itaque, iisdem verbis, vbi paullo aliter scribuntur, diuersos sonos tribuere. Hinc accidit, vt scripta hieroglyphica facilius initio, difficilius sub finem legantur. Litera enim quaeuis et verbum, simulac in praecedentibus venerunt, variantur in sequentibus. Variationes phoneticas non eas dicimus, quae efficiant, vt vocabula aliis sonis enuncianda sint, sed videantur. Vtut enim varia sit verbi cuiusdam significatio, sonum habuit haud dubie eundem apud Aegyptios et scriptorem. Aliter res se habet, si quis signa enunciat, quibus scriptum sit, quod phoneticum dicimus hoc loco. Graphicas autem variationes appellamus, quae cadunt in singula verborum elementa. Ceterum eaedem leges locum etiam habent in scriptura demotica et hieratica praesertim. Haec est

hieroglyphicorum potestate diuersa [57]); graphica electione, positione, coniunctione, exornatione, disiunctione, variatione imaginum, aliisque similibus [58]).

§. 15.

De ambiguitate hieroglyphicorum.

Nullum est signum hieroglyphicum, quod habeat vnam tantummodo potestatem, neque pauca exstant, quibus sex pluresue literae significantur [59]). Haec ambiguitas, quae sola vetat hieroglyphica pro literis su-

---

caussa primaria, ob quam ingens literarum tum omnium, tum hieroglyphicarum praecipue numerus apud Agyptios in vsu fuerit atque lectio scriptorum huius nationis pluribus numeris impedita sit (vid. supra §. 9. SPOHN. Mem. p. 27.).

57) Aegyptii non solum vocales, quod commune habent cum aliis gentibus (vid. GESENII Lehrgeb. d. hebr. Spr. p. 49.), nunc omittunt, nunc addunt, nunc cum aliis permutant, sed consonas etiam. De singulis disserent infra §§. 22. 23. Exempla habuimus supra Tab. I. n. 18 b — 22. coll. Tab. III. n. 8. coll. 9. n. 15. 18. coll. 16. 17. 19. 20. 21. in verbo כמנא.

58) Vidimus (§. 10.), permagnam fuisse literarum sacerdotalium copiam, quum singulae vulgares varie ornari et distineri debuerint. Sic e solis literis hieraticis ingens hieroglyphorum numerus prodire debuit, e quibus permulta ad vnam eandemque literam eiusque variationes spectarent, necesse erat. Sumamus, mille saltem exstitisse hieroglyphica satis inter se diuersa; quiuis sonus quadraginta modis, quoduis verbum e tribus literis constans, centum viginti significari poterat. Quamuis autem in singulis plerumque ea hieroglyphica adhibeantur, quae proxime orta sunt e litera hieratica eodem in verbo vsitatissima; vel ex his clarum est, quantopere variari potuerit scriptura hieroglyphica. Sic raro כמנא vno eodemque modo scribitur (vid. Tab. I. 18 — 21. Tab. III. 5 — 9. 12. 13. 15 — 21.). Accedit, quod easdem imagines nouis ornamentis, quorum in singulis non exigua vis est, augere licebat (vid. Tab. III. n. 22. coll. 15. Tab. I. 20. 18. Tab. II. 10. coll. 9. 8. 7. 6. 5.). In his quidem omnibus non haerendum erat iis, quamuis impedire videbantur lectionem, qui ad hieroglyphorum interpretationem sese aptarent. Quantum autem fecerit ad varietatem huius scripturae positio elementorum, coniunctio, disiunctio atque apprime variatio, infra videbimus (Cap. II. §§. 16. 21. 23. Cap. III.).

59) De hac lege, quae sane est praeter omnium opinionem, nescio an gratulandum sit iis, qui alicui hieroglyphico aliquem sonum indiderunt. Inde enim fit, vt, qui imagini cuicunque qualemcunque fere potestatem adscribat, is aliquid recti tradat. Si quid video, hic est ille primarius scopulus, in quo non pauci hactenus vtut cauti naufragium passi sunt. Ratio enim scripturae hieroglyphicae quemuis, qui accesserit, facile et primo quasi obtutu in eam sententiam adducit,

mere [60]), oritur praecipue comprehensione variarum literarum hieraticarum vna figura hieroglyphica [61]), diuersa positione imaginum [62]), atque hiero-

---

qua pro alphabetica habeatur; sed nemo cogitasse videtur de eo, vnum hieroglyphicum varios sonos significare posse, nec reputasse, vnde id fiat et quasnam ad leges, vel quasnam siue vocales siue consonas vno signo comprehendere liceat. Hinc venit, vt hieroglyphica pro verborum notis partim mimeticis partim symbolicis haberentur, vt disputaretur de classibus et speciebus animalium, quae reperiuntur in inscriptionibus, vt, cum literae non quadrarent, confugeretur ad dialectum Baschmuricam. Sed haec omnia facile excusantur. Scilicet recentiori demum aetati contigit, nancisci inscriptiones demoticas, e quibus cognosceretur non solum linguae sed etiam literarum genuinarum ratio apud veteres Aegyptios. Qui vero non totum se veluti insinuauit in scripturam vulgarem, perspicere nequit hieraticam, quippe quae clauis est hieroglyphicae.

60) Hinc apparebit, vt ad priora exempla redeamus, hieroglyphica Tab. I. n. 31. גאאסרש, n. 32. אוטוכרטר significare. Item sonat n. 29. אלגשנתרש, quum cultellus sit ת vel ט, vt in טרו *omnia* (vid. Tab. III. n. 14.).

61) Videamus nonnulla exempla. In locis parallelis verbum ϫⲗⲟⲩ inter alia scribitur, vt 24—29. Tab. III. Apparet inde, signa illa omnia eiusdem potestatis esse. Quodsi vero oculus atque patera מ significarent in כמא (Tab. I. 18. III. 5. 6.), sequeretur, reliqua signa eundem sonum significare. Porro si patera verbi 30. Tab. I. valeret נ, esset idem in verbo 28. Tab. III. atque in reliquis. Deinde cum hamus sit כ in verbo 4. Tab. II., eandem consonam haberes in verbo 27. Tab. III. et reliquis. Idem cadit in verbum 26. Tab. III., coll. 29. Tab. I., vbi audiretur ש, aeque atque in reliquis. Haec vero omnia ita, vti dictum est, explicantur. Simile est ר hieraticum (Tab. III. 30.) ס hieratico (n. 31); hinc vno symbolo nunc ס (Tab. I. n. 1—3. 31.), nunc ר (Tab. III. n. 27.) innuitur. Non multum differunt א (Tab. III. n. 33.), ר (n. 34.) et כ (n. 35.); ex quo fit, vt auicula siue anterior pars auis alias א (Tab. I. n. 29. 33. 56. 57. 61—63.), alias ר (Tab. III. n. 11. coll. 10.), alias כ significet (Tab. I. n. 36—38.). Sic ex ל et ר prodit leo (Tab. III. n. 36. 37. 38.), ex ו et ש scapus (n. 39—42.), ex נ et ר et ϥ patera (n. 43—46.). Ceterum facile perspicitur huius rei caussa. Scilicet, cum fuerit ἱερογραμματων, literas hieraticas veluti induere in rerum figuras; accidit, vt propter copiam literarum hieraticarum et similitudinem nonnullae satis inter se distingui non possent. Subinde cum magis imaginum integritas et elegantia spectaretur, neglecta est genuina literarum pingendarum ratio. Addere liceat eandem legem easdem ob caussas passim valere etiam in scriptura sacerdotali.

62) Positio hieroglyphicorum, quae varias leges sequitur (vid. §. 16.), non raro eorum ambiguitatem procreat. Sic נ pro verborum et spatii ratione nunc erigitur (in נט *ἵνα* (vid. T. III. n. 47. coll. 48. inscr. Ros.), nunc imponitur (in נוי *deus* vid. n. 49. coll. 50. scar. Zoeg.), nunc inuertitur (in נגמ *omnia* vid. n. 51. coll. 52. inscr. Ros.), ita vt congruat cum ו (in קלו *libatio* vid. n. 53. inscr. Ros.), cum ט (in מט vid. 54. scar. Zoeg.), cum ס (in נאססא *annus* n. 55. inscr. Ros.) cum י (in שיהר, Osiridis, n. 56. dei Aegyptiorum supremi nomine, quod Champollion. pro symbolica appendice nominum mortuorum vsitatissima habet. Précis du Syst. hier. Tab. gen. n. 450.).

glyphica variandi nec non alia aliis assimilandi quodam studio [63]). Quamuis non exigua sit, quae inde oritur, difficultas lectionis et interpretationis; docet tamen contextus, quomodo literae aut verba ambigua intelligenda sint. Praeterea distinguuntur imagines potestate ambiguae notis, quae hunc in finem inuentae sunt, diacriticis [64]).

CAP. II.

DE HIEROGLYPHICIS EMPHONICIS.

§. 16.

De positione.

Hieroglyphica emphonica, quo nomine appellare liceat ea, quae suo ambitu integram literam hieraticam pluresue describunt [65]), sistuntur pro

63) Vid. infra §. 21. Inter alia פ in פט *Phtha* (Tab. I. n. 7 — 18.) ita variatur, vt linea inferior duplicetur (n. 7.), frangatur (n. 8.), erecta mutetur in א (n. 9.), in נ (n. 13. 14.), in ט (n. 11.), in ש (n. 16.). Assimilationem obseruabis in א et י (Tab. I. n. 58. coll. 53.), in מ et נ (Tab. I. n. 30. coll. Tab. III. n. 6. 8.) in כ et ל et ר (Tab. III. n. 17. coll. Tab. I. n. 32. 28.).

64) Non dubito, quin hieroglyphica ambigua si non omnibus, certe plerisque in locis distincta fuerint ab Aegyptiis. Quum vero eruditi in describendis inscriptionibus imaginum magis elegantiam et integritatem, quam ruditatem et additamenta minuta spectauerint, inde accidit fortasse, vt grauissima negligerentur. Diacritica inter alia haec inueni. Differt נ a ט squama in tergo posita, ab vtroque ע corolla (Tab. III. n. 57. 58. 59.). Signo ט additur punctum, vt differat abs מ (Tab. III. n. 60. 61.). Vbicunque vero imago quaedam aliquid imperfecti aut alieni offert, id pro diacritico habendum est. Sic כ in כמא (Tab. III. n. 63.) dignoscitur ruditate sua, quemadmodum ט in טרו (Tab. I. n. 14.) calami defectu abs א vulgari siue penna.

65) Ex hac sententia e. c. oris figura (Tab. III. 48.) *ἐμφωνικον* est, quia integrum נ sonum hieraticum continet, siue duae curuae hoc loco sufficiunt ad elementum integrum vocabuli significandum. Item in figuris 1. et 2. (Tab. III.) inest *φωνη* licet composita, qua de caussa huius quoque generis hieroglyphica ad idem genus referenda sunt.

situ literarum in iis latentium et ratione rerum, quas significant [66]). Quo saepius illa lex in pingendis rebus fabrilibus et imaginariis migratur [67]), eo rarius imagines a viuentibus petitae alieno modo exhibentur [68]).

§. 17.

De metathesi.

Elementa verborum inter se transponuntur non pronunciationis, sed spatii et elegantiae caussa [69]). Hieroglyphica metathesis obseruatur

66) Hac scribendi lege potissimum euincitur, hieroglyphica notionum neque signa mimetica, neque symbolica esse. Quodsi enim veluti penna pennam, aut per symbolicen quamuis aliam rem denotasset; licuisset eam nunc erectam, nunc iacentem, nunc inuersam, nunc aliis modis pingere. Hoc apprime valet de animalium figuris. Quoties, vt hoc vtamur exemplo, auis quaedam, leo eiusque generis alia occurrunt, toties eodem habitu veniunt. Multum elegantiae et amoenitatis accessisset inscriptionibus, si pro leonibus et auibus iacentibus et stantibus cernerentur illi nunc erecti, nunc currentes, nunc incuruati, hae volantes, inclinatae, retrouersae.

67) Quamuis hieroglyphica ita constanter fingi debuissent, vt literarum, quas significant, formae responderent; id haud raro negligitur tum ob elegantiam quandam, tum breuitatis studio in rebus ex vita communi petitis. Sic ɔ variis modis vertitur (vid. Tab. III. n. 49. 51. Tab. I. 47. 48.), pariter atque א (Tab. III. n. 63. coll. Tab. II. n. 93. 94.) et alia innumera. Huius rei caussa esse videtur, quod eiusmodi figurae eaedem manent et agnoscuntur facile, quamuis variis rationibus vertantur.

68) Offensionis aliquid habuisset pingere veluti homines, animalia eorumque partes contra naturam. Hinc eius generis figurae pedibus praeditae plerumque stare, aut sedere, aut ambulare videntur (Tab. I. n. 28 — 45. Tab. II. n. 5 — 15. Tab. III. n. 15. 22. 24 — 29. al.); hinc oculi, oris, pedis imagines pro naturali situ exarantur. Obseruantur tamen ab his diuersa, vt in Obelisco Pamphil. Lat. oriental., vbi scilicet angustiae caussa homines et aues iacent. Neque frequentior est inuersio figurarum contra reliquarum situm, vt Inscr. Ros. L. VIII. (vid. Tab. III. n. 64. coll. n. 10. 11.), quod accidit praesertim, quum praecedentibus aut subsequentibus hieroglyphicis actionis quaedam species oriatur, vt loco cit. coll. Tab. II. n. 12. 13. 15.

69) Differt itaque metathesis grammaticorum ab hieroglyphica eo, quod hac nihil mutatur vocabulorum enunciatio. Ceterum haec lex cohaeret cum ea, secundum quam hieroglyphica inter se componuntur (vid. §. 13. sqq.). Latent enim eaedem caussae. Cauendum erat scribis, ne singulae imagines inter se confunderentur, aut loci relinquerentur vacui. Praecipue animaduertes, bina aut terna signa erecta totidem excipere iacentia vel transuersa.

nunc in verbis singulis [70]), nunc in binis sibi proximis [71]), nunc in diuersis [72]).

§. 18.

De variationibus.

Numerus hieroglyphorum augetur non solum eo, quod literae hieraticae, tum genuinae, tum variatae, singulae variis lineis circumscribuntur, sed eo potissimum, quod imagines e singulis ortae nouas mutationes subeunt [73]). Hoc emphonicorum genus, quod variatum dicimus, oritur partim ex omissione linearum [74]), partim ex ad-

---

70) Exempla vidimus supra §. 13. not. 2. Tab. III. n. 5—11. 3. 4. 15—23. Tab. II. n. 95. 100. Huc spectant נר׳נכ׳ pro נר׳ (Tab. III. n. 65. coll. 66. Obelisc. Barb.), נכמא pro נאמ (Tab. III. n. 67. coll. 68. Inscr. Ros.). Vid. Tab. III. n. 84. 85.

71) Sic scribitur in Pap. Berolin. 28. נכנר׳ יצ pro נר׳ ניצ (vid. Tab. III. n. 69. coll. 70. 71.), אנש נה pro אש נכה (n. 72. coll. 73. Monum. Borgian.).

72) Hoc transpositionis genus reperi hactenus nonnisi in nominibus propriis. Demotica enim scriptura omnibus fere nominibus, quae in papp. aliisque scriptis legi, addit syllabam מא, quae haud dubie Aegyptiacam nominum pronunciationem refert, vti in מפטלומיחאסמא, מארסיטחמא (Tab. III. n. 74. 75.). Hanc terminationem hieroglyphica etiam scriptura habet ita quidem, vt verba, quae proxime ad nomen regis pertineant, interponantur. Hinc legendum est n. 73.ª Tab. III. non מפטלומאאס נבת נמהאא מא, sed haud dubie מפטלומאאסמא etc.

73) Quemadmodum literae demoticae et hieraticae certas quasdam ad leges variantur; ita etiam hieroglyphicae. Cautio vero quaedam est in constituendis hieroglyphicis variationibus. Quum enim literae hieraticae variis imaginibus reddi possint; facillimum est, eiusmodi hieroglyphica, quae proprium genus et genuinum constituunt, pro variatis habere, quo facto impeditur lectio. Hae autem variationes apprime notandae sunt propterea, quod non rara figurarum assimilatio occurrit atque partes, quae ornatui inseruiunt, pro ipsis literarum signis sumi possunt. Quum enim additamenta denuo aliorum hieroglyphicorum speciem habeant, atque hieroglyphica diuersa inter se iungantur (vid. §. 24.); huius legis ignarus totidem sonos pronunciare possit, quot ornamenta accesserunt. Ceterum tota res nititur varietate et elegantia scribendi, de quibus supra diximus (§. 14.).

74) Nihil frequentius neglectione particularum imaginum. Sic desunt leonibus cauda, quae alteram partem ל significant (Tab. I. n. 28. coll. Tab. II. 38. 39.), auibus pedes (Tab. II. 64. 65. coll. 66. sqq.), tribus parallelis lineae secantes (Tab. I. 62. coll. 56.), lyris chordae (Tab. III. 95.

iectione ornamentorum [75]), partim ex mutatione finium, quibus figurae continentur [76]).

§. 19.

De apocope.

Quum hieroglyphica scriptura propter elementorum ambitum longe maius spatium requirat, quam reliquae; verba non raro in compendia referuntur. Omittuntur literae nonnunquam tam multae, vt integra verba duobus vnoue signo scribantur [77]). Amant extrema

---

coll. 96.), sedentibus brachia (Tab. III. n. 76. coll. 77.), pedis claui (Tab. III. n. 79. 81. coll. 80.), quo facto non solum nouae imagines, sed etiam aliis similes oriuntur. Ceterum huc non spectant hieroglyphica parum a literis hieraticis suis cultu progressa, aut prioribus additamentis destituta.

75) Innumera fere sunt, quae accedant ad imagines singulas tamquam ornamenta, praecipue in scriptis accuratioribus. Ex hac lege habes Tab. III. n. 22. 15. perfectam fere Osiridis figuram cum insignibus suis pro simplice א, Tab. II. n. 5 — 9. aues vario modo coronatas, ib. n. 5. 9. anguinem cum claue, n. 15. falconem cum triturario, Tab. I. n. 48. scalam pro iugo, Tab. II. 55. 56. coll. Tab. I. n. 27. clauam et oculum pro ore, eiusque generis innumera. Itaque in vniuersum est tenendum, cum multis imaginibus multa coniungi, quae verborum pronunciationem, quamuis emphonicorum aliorum speciem prae se ferant, nihil mutent.

76) Huius legis multae sunt partes, quarum sex primariae: fractio, directio, curuatio, dilatatio, contractio, dispositio. Sic omnes lineae rectae frangi possunt, vt vndarum similitudinem accipiant (Tab. III. n. 82. coll. 83., n. 1. coll. 2.), curuae mutantur in rectas ac vice versa (Tab. III. n. 5. 6. Tab. IV. n. 1 — 4.), oblonga abeunt in quadrata merasque lineas (vt ש Tab. IV. n. 5 — 8.), breuia extenduntur (vt נ initiale Tab. III. 84. 85.), lineae cum secundariae tum primariae aliter coniunguntur (vt in כ Tab. III. 5. coll. 6. 23. 22.). Hinc accidit, vt hieroglyphica initio valde inter se diuersa formas aut pares aut simillimas subirent (vid. Tab. III. n. 15. 16. 17. 21.). Denique non praetereundum est, triplicem hanc legem haud raro simul adhiberi, ita vt aliis hieroglyphicorum partibus accedant, aliis demantur lineae, in aliis varientur. Vid. Tab. I. n. 34. 60 — 64. 19 — 21. coll. Tab. III. n. 16 — 21. Tab. IV. 9 — 16., quae quidem omnia non designant Osiridem, sed כמא sonant.

77) Quod valet non solum de vocalibus, sed etiam de consonis, praesertim in nominibus per se satis cognitis atque, quod notandum, in verbis frequenter recurrentibus. Sic pro וֹשייראצ *Osiris* (Tab. IV. n. 17.) alias scribitur וֹשיירא (n. 18.), alias וֹשייר (n. 23.), alias וֹשיי (n. 19.), alias וֹשי (n. 20.); pro ניצתי passim legitur ניצ (Ibid. n. 21. coll. 22). Huc referri etiam possunt verba, in quibus consonae omissae sunt, quum negligentiae id propter frequentiam exemplorum vix ac ne vix quidem debeat adscribi. Sic idem verbum ניצתי, *sublimis*, passim scribitur ניצי (Tab. IV. n. 24.).

negligi, quum hieroglyphicum neglectum initiali verbi sequentis exprimi potest [78]).

§. 20.

De scriptione defectiua.

Quemadmodum gentes, quarum literae initio non sonos singulos, sed syllabas significarunt, ita Aegyptii quoque inter consonas vocales modo scripserunt, modo suppresserunt [79]). Hic vsus non solum in mediis vocabulis, sed initio etiam, quod insolentius est, obseruatur [80]).

§. 21.

De scriptione superflua.

Priusquam singularia signa inuenta sunt ad discernendam syllabarum quantitatem, nihil aptius est ad vocales longas a correptis distinguendas,

---

78) Hoc ex genere est י כנהי, *lapis sit* (Tab. IV. n. 25. inscr. Ros.) pro יכ כנהי. Quodsi enim aliquis legere maluerit יכ כהי; vertendum habebit *lapis est*, cum כ illo loco sit nota coniunctiui, vt ϩⲓ Coptorum. Sic negligitur ס finale in *Sesotis* (n. 26. coll. 27.), quoniam sequens verbum incipit a signo, quod alias sonum neglectum indicat.

79) Literae Semiticae initio syllabas significarunt, vt recte viderunt alii (vid. O. G. Tychsen. Tentam. de var. codd. gen., Pavlvs N. Repert. T. II. 2. p. 269. nostr. libr. De sonis litt. Graec. p. 178. sqq. coll. Kopp. Bilder u. Schriften d. Vorz. Tom. II. p. 110.), exceptis tribus ו, י, א (Kopp. l. c. p. 115. sqq.; lib. nostr. Veber die vrspr. Laute d. Heb. B. p. 15.; coll. Beck, [qui nos impugnauit] Veb. die urspr. Laute d. Heb. Buchst. p. 23. sqq.), quae inuentae sunt partim verborum a vocalibus incipientium et diphthongorum gratia. Hinc vocales ad syllabarum potestatem accuratius distinguendam a Semitis passim additae negliguntur; quod accidit etiam apud Aegyptios. Huius generis innumera sunt exempla (vid. Tab. III. 16—21. 23.), quamquam negari nequit, vocales rarius apud Aegyptios, quam apud Semitas desiderari. Ceterum vel ex hoc vsu apparet, quanta sit vtriusque scripturae affinitas.

80) Literae vocales vocabulorum initiales semper maioris momenti ac pro radicalibus habendae sunt. Qua de re offensionis aliquid habet, quod vocales, quibus incipiunt vocabula, haud raro negliguntur. Sic Osiris scribitur alias שיהר (Tab. IV. n. 28. coll. n. 19. 20. 23.), אש alias ש (n. 29. coll. 30.), ציה pro וציה (Tab. IV. 31. coll. Tab. II. n. 96—98.). Itaque cauendum, ne prima verborum signa prima etiam habeantur in pronunciatione.

quam earum repetitio. Hinc Aegyptii Graecorum et Romanorum ad instar syllabas producendas non solum binis, sed ternis etiam vocalibus nunc iisdem nunc affinibus insigniuerunt [81]).

§. 22.

De permutationibus vocalium.

Genuina literarum vocalium ambiguitas effecisse videtur, vt hieroglyphica scriptura ad vnum sonum significandum diuersa signa diuersae potestatis adhibuerit [82]). Accedit, quod vocales etiam

---

81) Satis constat, Graecos et Romanos binas vocales non male scripsisse pro singulis longis. Obseruauimus quidem (De son. litt. Graec. p. 464.), Homeri aetatem et sequentes Homerum imitatas vsu literae *ι* vocales longas distinxisse, priusquam *η* et *ω* et *ου* inuentae essent, ita vt *ει*, *αι*, *οι*, *υι*, valerent ē, ā, ō, ū; sed negari nequit, ambiguitatem inde oriri. Illam scripturam saepenumero secuti, hanc aemulati sunt Aegyptii. Sic duos cultellos (vid. Tab. III. n. 73.) pro ⲚⲚ siue *ä* longo habeo, sic scribitur ⲚⲚⲞⲚⲚ pro ⲚⲞⲚ (Tab. IV. n. 32. coll. 33.), sic ניר pro נר (n. 34. 35.), Copt. ⲚⲞⲨϮ. Iam ad producendas vocales aliae etiam et plures adscribuntur. Sic ternae reperiuntur in Osiris (n. 36. coll. 19—23.).

82) Literae Semitarum vocales initio non solum *a*, *i* et *u*, sed etiam sonos affines significarunt, vti vidimus (De pronunciat. vocal. Gr. veter. Sc. S. interpretib. vsitata. p. 31. sqq.), ita vt א vocales *a*, *å*, *ä*, *e*, י vocales *i*, *ü*, *e*, *ä*, ו vocales *u*, *o*, *ü*, *ö*, *å* pro verborum pronunciatione valerent. Simile quid acciderit necesse est vocalibus veterum Aegyptiorum. His enim teste Plutarcho (De Is. p. 374.) literae XXV in vsu fuerunt, ex quibus non nisi quinque potuerunt vocalium *a*, *e*, *i*, *o* et *u* partes agere. Ne hae quidem suffecerunt ad omnes sonos vocales distinguendos. At persuasissimum mihi est, Aegyptios vsque ad Ptolemaeorum imperia aut eo saltem tempore, quo hieroglyphica scriptura oriretur, XXII tantum literas cum tribus vocalibus א, י, ו ambiguis habuisse diuersas sonis. Diserte enim tradit Clemens Alex. (Strom. L. V. c. 4. p. 657.), hieroglyphicorum potiorem partem loqui per prima elementa. *Πρωτα* vero *ϛοιχεια*, quae vocat, non solum numerum, sed potestatem quoque literarum significare possunt. Vtrumque ferri potest tum per leges linguae Graecae et Clementis scribendi rationem, tum per hieroglyphicen Aegyptiacam. Caue autem, ne primas generis humani literas eas, quas Plutarchus memorat (Symp. IX, 3.), habeas, vt Letronnivs fecit (vid. Champoll. Préc. du Syst. hier. p. 404.), quam sententiam dudum refutauimus (De Pronunc. litt. Gr., de litt. Graec. sub. vsit. p. 577. sqq.). Admodum probabile est, Phoenices initio XV tantum literas vel orationis elementa, vt Irenaevs

cum consonis, quae subinde vocalium vim susceperunt, permutantur [83]).

---

confirmat (vid. libr. nost. I. p. 245. coll. 640.), scilicet א — ס distinxisse. Graecos autem a Cadmo et reliquis literarum Phoeniciarum in Graecia propagatoribus accepisse XXII, א — ש, dubitari nequit. Totidem literae etiam hieroglyphicae potestate eadem atque Hebraicae praeditae discernuntur, quare, cum demoticae literae numero sint XXV, vt recte vidit Plutarchus, serius tria literarum signa inuenta sint, necesse est. Iam haec egregie confirmat Eusebius (Praep. Euangel. Lib. I. c. 10. p. 25. ed. Lutet.). *Θεος Ταautος*, inquit, *διετυπωσεν τοις ἱεροις των ϛοιχειων χαρακτηρας. — Ταυτα παντα ὁ Φαβιωνος παις, πρωτος των ἀπ᾽ αἰωνος γεγονοτων Φοινικων ἱεροφαντης ἀλληγορησας, τοις δε φυσικοις και κοσμικοις παθεσιν ἀναμιξας, παρεδωκε τοις ὀργιωσι και τελετων καταρχουσι προφηταις. οἱ δε τον Τυφον αὐξειν ἐκ παντος ἐπινοουντες τοις αὐτων διαδοχοις παρεδωσαν και τοις ἐπισακτοις· ὡν εἱς ἠν Ἰσιρις, των τριων γραμματων εὑρετης, ἀδελφος Να, του πρωτου μετονομασθεντος Φοινικος.* Ergo Aegyptii tres literas reliquas et longe serius quidem acceperunt. Coniectura assequi possemus, quae signa serioris fuerint aetatis, si nullum eorum esset in scriptis Aegyptiacis vestigium. Nimirum Hebraicum alphabetum, cum *p* et *f* vno פ, quinque vocales tribus signis comprehenderet, e quindecim orationis humanae elementis (vid. lib. nost. De sonn. litt. Gr. p. 224.) tria confundebat, ex quo lectionis quaedam ambiguitas non potuit non oriri. Hinc accuratioris et subtilioris ingenii erat, inuenire signa, quibus *f* abs *p*, *a* abs *e*, *o* abs *u* seiungerentur. Quemadmodum vero Graeci, Syri, grammatici Hebraici aliique subinde hos sonos primo distinxerunt, ita Aegyptii vere Isiride, vt Clemens refert, auctore pro א, vbi significaret *a*, scripserunt ⲁ; pro ו, vbi significaret *o*, vocalem וֹ; pro פ tamquam *f* signum ϥ. Itaque hae literae, quippe recentiori aetate inuentae, secundum Clementem desiderarentur in scriptis hieroglyphicis, quod aliter sese habere videtur. Discerni etiam vtique possunt illae literae non solum in scriptura demotica et hieratica, sed etiam in hieroglyphica. Hanc ob rem putamus Clementem magis literarum formas et potestatem, quam numerum spectasse aut symbolorum quandam confusionem, quod magis fauet nostrae sententiae, innuere voluisse. Vtut sit, inde vocalium aeque et consonarum nonnullarum commutatio explicari potest. Certe negari nequit, posteros maiorum consuetudinem in scribendis hieroglyphicis imitatos esse. Praeterea reperitur simillimus vsus apud Aegyptios seriores siue Coptos. Iidem scriptores, vt constat, eadem verba iisdem in libris diuersis vocalibus et consonis quoque passim conscribunt.

83) Soni ה, ח et ע ita comparati sunt, vt facillime, perdita consonarum potestate, merae vocales euadant. Hinc istas literas Hieronymus vocalibus adnumerat (vid. libr. nostr. Veber die urspr. Laute d. Heb. Buchst. p. 25. sqq.), atque demotica et hieratica scriptura pro vocalibus vsurpant, aeque atque Arabica, Hebraica, Syriaca, Aethiopica (vid. Gesenii Handwörterbuch d. Hebr. Spr. p. 213. 269. 811. Ludolf. Gramm. Aeth. p. 5.). Itaque non mirum, pro vocalibus hieroglyphicis passim istas etiam literas, quamuis initio consonae vel syllabae fuerint, adhiberi. Sic verbi caussa scribitur et שאיר et שעיר (Tab. IV. n. 37. 38. coll. Tab. III. n. 24 — 29.).

§. 23.

De permutationibus consonarum.

Non alternant consonae nisi eae, quae aut ad eosdem sonos aut maxime affines pertinent [84]). Haec obseruatio, per se non improbabilis, nihil difficultatis habet, quatenus genuina consonarum affinium symbola vicissim vsurpantur [85]).

§. 21.

De coniunctione.

Emphonicorum duplex est coniunctio. Alia enim, vix duabus lineis copulata, genuinas formas fere integras seruant [86]); alia varie disposita ita

---

84) Eadem lex non solum apud Hebraeos, Syros, Arabes, Aethiopes, aliosque, sed etiam apud Aegyptios tum veteres tum recentiores obseruatur. Quemadmodum apud Semitas et Coptos ג et כ, ϫ et ⲕ et ⲅ; ס, ש, ז, צ atque ⲥ, ϣ, ϭ, ϫ; ב, פ atque ⲃ, ⲡ, ⲫ, ϥ: ita eaedem literae apud Aegyptios veteres in triplici illa scriptura inter se commutantur (vid. Tab. IV. n. 28. coll. 36. Tab. I. 7—18. 28—33.). Ceterum huc non referenda est inter alia confusio ט et ג. Quod enim hae consonae raro inter se discerni possunt, in scriptura hieroglyphica, id inde fit, quod in vulgari scriptura parum distinctae simillime scribuntur hieratice, hinc easdem imagines subeunt hieroglyphicas.

85) Difficilius nonnunquam est demonstratu, quae literae certis quibusdam in verbis aliarum partes agant. Etenim adhibentur non solum, quae proxime e literis hieraticis originem ducant, sed etiam variationes, quae ad eas spectent, hieroglyphicae. Sic Tab. I. n. 12. manus figura non solum pro ב, sed etiam pro פ atque ϥ (coll. 15.) sumi potest. Atque vniuerse memorandum, pro duabus hieraticis literis non modo vnam hieroglyphicam imaginem, quippe quae vtramque repraesentet, vsurpari posse, verum quoque hieroglyphica reliqua, quae aut variata sunt ex illo signo aut ex variationibus hieraticis eiusdem literae prodierunt. Sic linea recta (Tab. IV. n. 37. 38.), alias duobus punctis distincta (n. 36. 19. 17. 16.), ז valet pariter atque ש (n. 28. Tab. I. n. 29. 30.), primo, quoniam hieratica ש et ז, quorum similis est figura, vna imagine comprehendi possunt (vid. Tab. III. n. 30—32.), deinde quoniam linea nunc punctis distincta, nunc simplex (Tab. IV. 35. 36.) potestate sua conuenit cum ש et ס illo (Tab. III. n. 32.), siue variatio est eiusdem literae.

86) Ex hoc genere est coniunctio literarum נא (Tab. IV. n. 39. coll. 40.) מנט (Tab. I. n. 47. 48.), נה (Tab. IV. 41.). De his tenendum, prius enuncianda esse ea, quae aut superiori loco aut anteriori continentur.

inuicem coalescunt, vt in vno veluti corpore diuersae imagines difficilius recognoscantur [87]).

CAP. III.
DE HIEROGLYPHICIS SYMPHONICIS.

§. 25.

De origine hieratica symphonicorum.

Hieroglyphica signa symphonica appellantur, quae nonnisi cum aliis siue singulis siue pluribus elementa verborum vel literas exprimunt [88]). Hoc genus oritur primo e literis hieraticis iis, quarum partes non satis inter se cohaerent, aut per variationem hieraticam diuulsae veniunt [89]).

87) Huc spectat (Tab. IV.) n. 42. coll. 43., 44. coll. 45., 46. coll. Tab. II. n. 4. 5. 6. 95—97. In his cauendum, ne imagines sic ortae pro emphonicis habeantur, quod haud raro accidit, quum eaedem figurae integras literas hieraticas significant. Ceterum haec etiam lex prodiit ex elegantiae, concinnitatis atque varietatis quodam studio. Nolumus enim repetere, quod aliis placeat, Aegyptios de consilio scripturam hieroglyphicam partim impediuisse, partim obscurasse.

88) Agit hoc caput de nouo hieroglyphicorum genere, cuius vestigia admodum latuerunt. Incidisse videmur in nouum scopulum, qui non paucis aliquid damni, imo interitum attulit. Initio quaesiuerunt in vnaquaque imagine notionem quandam, hinc literam; nunc inuenietur haud raro in hieroglyphicis binis, ternis pluribusue vnum tantummodo elementum significatum. Huius generis hieroglyphicum dicere liceat emphonicum, quoniam solum non sonat, sed cum aliis *συμφωνειται*, veluti aliorum auxilio literae potestatem assequitur.

89) Multae sunt literae hieraticae, quae duabus aut pluribus ex partibus diuersis et seiunctis constent, neque paucae, quarum lineae facilius duabus imaginibus reddi, quam vna comprehendi possint. Itaque *ἱερογραμματεις* literas bipartitas, vel tripartitas totidem imaginibus expresserunt ita quidem, vt partium ratio pro ratione integrae literae sumeretur. Sic י (Tab. IV. n. 48. 47.) redditur, ac si partes י essent literae singulares (n. 49. 50.); sic מ (n. 51.) atque נ (n. 52.) eodem modo scribuntur (vid. Tab. I. n. 19—21. in כמא, n. 65. coll. 70. in ניצ). Altera ex lege e. g. hieraticum ו (n. 53.), ב (n. 55.), נ (n. 57.) quoduis duobus significatur (n. 54. 56. 58.). Idem valet de א (vid. Tab. I. n. 65. coll. 68.), atque de מ (vid. Tab. I. n. 1. coll. 2. 3.). Ceterum eandem scribendi rationem Armenii etiam secuti sunt (vid. Tab. IV. n. 61. coll. 62.). Atque hinc potissimum apparet, ingentem fere esse hieroglyphicorum numerum, si pro literis habeantur. Quum enim quaeuis litera simplex pariter ac pars quaeuis literae variis imaginibus innui

§. 26.

De origine hieroglyphica symphonicorum.

Frequentius symphonica non ex hieraticis literis, sed ipsis hieroglyphicis prodeunt. Partes enim imaginum praesertim earum, quae, quamuis diuisae, integritatem quandam retinent, dissoluuntur atque vario modo ad instar emphonicorum tractantur [90]).

§. 27.

De variationibus.

Sicuti emphonica, ita symphonica genuinam formam perpetuo mutant. Nunc enim aliquid accedit, nunc demitur iis, nunc ambitus eorum variatur [91]).

---

possit; oriuntur eo plura literarum symbola, quo pluribus partibus singula constant et quo magis partes singulae variantur. Qui altius in rem inquirere cupiant, habebunt formulam analyticam hanc: $\frac{n.(n+1)(n+2).....(n+m-1)}{1 . 2 . 3 ....m}$ aut $\frac{(m+1)(m+2)(m+3).....(m+n-1)}{1 . 2 \quad 3 \quad ..... \quad n-1}$.
Hic *n* est numerus partium vnius hieroglyphici atque *m* numerus signorum, quibus singulae partes reddi possunt.

90) Vid. Tab. I. n. 61. 62. 65. coll. 66. Tab. II. 97. Tab. III. n. 47. 48. Tab. IV. n. 63. 64. 65. 66. Haec res tum demum aliquid difficultatis habet, quum partes hieroglyphicorum resectae aliorum hieroglyphicorum proprietatem subeunt, vt (Tab. IV. n. 67. 68.) in י, vbi linea inferior, quamuis ad superiorem pertineat, pro א aliisque literis haberi potest, atque (n. 69.) in כ, vbi superior pars (vid. Tab. I. n. 20.) aequat ה.

91) Quae supra diximus de emphonicorum variationibus, eadem valent hic; qua de re breuius disputare possumus. Exempla sunto Tab. I. n. 2. et 3., vbi canes habes pro lacertis; n. 7. 8. 16. 18., vbi cernuntur lineae fractae, punctae, extensae pro simplicibus; n. 67. 66., vbi semicirculus est pro triangulo; Tab. II. n. 10. 11. 12., vbi alternant cultellus, mitra atque idolum; Tab. IV. n. 70. 71., vbi pro ק siue anguine reperiuntur curriculum cum anguicula prona; n. 59. 60., vbi ש diuulsum parit idola duo cum insignibus suis. Accedit quod hieroglyphica symphonica vtroque modo passim oriuntur, ita vt literarum partes non solum distinguantur, sed hieroglyphicum quoque inde ortum denuo diuellatur et exornetur. Sic (Tab. II.) n. 13. oritur ex hieratico כ

§. 28.

De permutatione.

Vtriusque generis symphonica, siue simplicia, siue ornata sint, cum aliis hieroglyphicis commutantur nunc iis, quae similem prae se ferunt speciem, nunc iis, quae eandem, etsi emphonica sunt, potestatem habent [92]).

§. 29.

De positione.

Symphonica plerumque ita exarantur, vt figurae conueniant cum situ partium, ex quibus prodierunt [93]). Alio modo ponuntur, si spatii angustia obstat, aut concinnitas spectatur [94]).

(Tab. IV. n. 77.). Superior figura originem dedit auiculae, inferior subsellio, lineola erecta ad dextram progenuit pennam cum idolo. Iam vero hae partes non cohaerent, sed seiunctae totidem imagines ediderunt (conf. n. 10. 12. 15.).

92) Hic etiam assimilationis aeque ac variationis studium, de quo supra egimus, apparet. Quam enim commutationem symphonicorum dicimus, ea maiore aut eodem saltem iure assimilatio vocatur. Huc pertinet dextra pars literae כ (vid. Tab. II. n. 16 — 21. coll. Tab. III. n. 8. 9. כמאמא), vtraque pars eiusdem literae (Tab. IV. n. 78 — 80. coll. Tab. I. n. 19. 20. 33. Tab. III. n. 65. 66.). In primis notanda est commutatio segmentorum hieroglyphicorum cum imaginibus eosdem sonos significantibus. Sic ר (Tab. IV. n. 74. vid. Inscr. Ros. Lin. VIII.) inter alia ita variatur, vt linea inferior detrahatur (n. 73.). Iam oriuntur, si sectio fiat vtriusque partis, symbolum ח atque symbolum כ siue stadii figura, quae quidem mutatur in oris figuram (n. 72.), hinc in oculum (vid. Inscr. Ros. L. XIII.), cum harum imaginum eadem sit passim potestas. Sic Inscr. Ros. L. XIV. offert mitram imperfectam (vid. Tab. IV. n. 82. coll. 81.). Resecta autem est illa pars, quae cum habeat per se spectata figuram כ, atque כ alibi anguiculo reddatur, anguiculi adiectione compensatur. Male Champollionvs (Précis du Syst. hierogl. Tab. gen. n. 315.) non solum illius verbi primam literam ad praecedens traxit atque finem omisit, sed etiam integram mitram pinxit, ita vt anguiculus non neglectus superuacaneus sit.

93) Vid. א Tab. II. n. 32.b coll. 30.b, ש Tab. I. 62. coll. 64., י Tab. IV. 68. coll. 67.

94) Huc referri debet altera pars ב (Tab. I. n. 9. 11. 13. 14. coll. n. 7. 8. 16.), superior pars ר (Tab. IV. 75. et 76.), posterior literae צ (Tab. I. n. 67. coll. 65. et 69.). Alia exempla videbimus §. 31.

§. 30.

De ordine.

Quamquam symphonica sese excipiunt plerumque pro ordine et situ partium literarum, quas significant [95]; multa tamen sunt caussae, ob quas diuersis disponuntur locis [96].

§. 31.

De coniunctione.

Triplex est symphonicorum coniunctio. Coalescunt inter se nunc symphonica cognata siue ea, quae ad vnam literam pertinent [97], nunc diuersa, siue a diuersis literis orta [98], nunc denique symphonica cum ipsis hieroglyphicis emphonicis [99].

---

95) Ordo symphonicorum genuinus est duplex. Diuelluntur enim aut anteriores aut inferiores partes literarum atque emphonicorum. Hinc superior est semicirculus in ב (Tab. I. n. 7. 8), in מ (n. 19. 21.), hamus in נ (Tab. III. n. 70.), os atque ouum in ו (Tab. IV. n. 72. 76.); sic secundum locum tenet lineola in נ (Tab. II. 16 — 21.), quippe ex linea fracta orto (Tab. II. 92.), hamus in ל (Tab. II. 37. coll. 39.).

96) Primarium dispositionis consilium est concinnitas et breuitas. Hinc מ (Tab. I. n. 20.) subiicitur alieno quidem ordine, aut imponitur (Tab. III. 21.), נ distrahitur (Tab. I. 67.), triangulus et circellus in ע imponitur (Tab. IV. n. 83. 84. coll. 85. 86.), puncta ex א et נ mutant suos locos (n. 87. coll. Tab. II. 32., Tab. IV. n. 88. coll. 89.). Sed singularis dispositio est, qua inter symphonica alia symphonica aut emphonica collocantur. Sic Tab. I. n. 45.ª in verbo, quod non ⲤⲞⲨⲦⲰⲚ, vt CHAMPOLLIONVS putauit, sed בורו *rex* pronunciatur, vterque semicircellus symphonicum est vocalis ו. Posterius ו, cuius altera pars est cauda muscae, facile dignoscitur; difficilius praecedens. Scilicet altera, dissoluta ala efficit vnacum semicircello anteriori vocalem ו. Scapus cum capite et antennis valet ב atque corpus muscae cum ala altera literam ר.

97) Ad hoc genus spectant (Tab. II.) n. 15. 11. Etenim litera, ex qua imagines hae prodierunt (vid. Tab IV. n. 77.), bipartita est, qua de re eadem seiunctio alibi retinetur (Tab. II. n. 10. 12. al.). Similiter coeunt anguis et globus (Tab. II. n. 5. 6. 9. coll. Tab. IV. n. 90.), partes diuersae literae נ (Tab. IV. 91. coll. 77.), duo puncta ex א (n. 92. 93. coll. 94.).

98) Sic, vt ad superius exemplum redeamus (vid. Tab. IV. n. 95. 96.), iunguntur symphonica ב et ו tanquam membra vnius corporis.

99) Prouocamus ad eandem figuram (loc. cit.). Hoc enim loco non cogitandum esse de certa quadam muscarum specie vel symbolo quodam verbi *regis*, in oculos incurrit. Diuersissimis

§. 32.

De omissione.

Haud raro accidit, vt variis de caussis emphonica negligantur, quo facto symbolo aut symbolis partis aut particularum alicuius literae integer sonus significatur [100]). Huius generis omissio obseruatur praecipue, vbi insequens hieroglyphicum symphonica neglecta in semet ipso continere videtur [101]).

§. 33.

De segmentis.

Quum symphonica ita comparata sunt, vt singulae eorum partes satis discerni possint, haud raro noua incidit eorum seiunctio [102]). De his sym-

---

enim animalibus significatur hoc vocabulum (vid. glossar. sub h. v.), sed ita quidem, vt constanter eadem literarum signa reperiantur. Atque hoc apprime tenendum, in imaginibus his quamuis accuratis et distinctis, singulos articulos cum corpore non cohaerere, quod, ni fallor, in nullo animalium genere obseruatum argumento est, magis literarum figuras quam imaginum integritatem et indolem spectatas fuisse. Videatur statua Memnonis, in qua hieroglyphicorum proprietas egregie culta est. KIRCHERVS hanc muscae speciem interpretatur: *Polymorphus naturae genius,* quod saltem non cadit in n. 95. atque 97. Tab. IV.

100) Exempla sunt Tab. I. n. 10. coll. 7., vbi altera pars ב excidit; Tab. II. n. 98. coll. 99., vbi symphonicum י deest; Tab. III. 25. coll. 26., vbi hamus desideratur; Tab. IV. 100. coll. 90., vbi solus anguiculus significat ח aeque atque brachium (n. 102. coll. 83. 84.); Tab. IV. n. 103. 104. coll. 91. et Tab. II. n. 11. atque Tab. IV. n. 106. coll. 105., vbi et telum pariter atque linea cum mitra et solus circellus literam כ valent. Sic Tab. IV. n. 96. 97. neglecta sunt symphonica ב et י siue circelli, quod etiam factum est in scarabaeo n. 100., in verbis מבירו נוי, nisi legendum sit מבורט *regina,* quod concretio caudae suadet. Vid. *Supplément aux fragmens de l' étude des hierogl.* Scar. n. 19., quod opus nuperrime prodiit *Constantinopoli.*

101) Sic Tab. IV. n. 99. legitur נוי sine semicircellis, qui pertineant ad י, quia sequens שמא incipit duabus rectis, quae, quamuis significent ש, symphonica omissa supplere possunt. Ceterum denuo apparet, quantopere hac ratione hieroglyphicorum et numerus et ambiguitas augeatur, siquidem pro literis accipiantur. Apparet etiam, subinde Aegyptiorum hieroglyphices partem eo peruenisse, vt non multum abesset a symbolica quadam tum verborum, tum syllabarum significatione. Quod enim passim omittuntur literarum partes nec retinentur nisi eae, quae imaginem quandam constituunt, id simillimum est symbolicae scripturae.

102) Vid. Tab. IV. n. 107. sqq. n. 113. sqq. Hic hieraticum ש (n. 107.) depressum primo duabus lineolis secatur (n. 108.), hinc duae eius partes diuelluntur (n. 109.), deinde lineae

phonicorum segmentis eaedem leges valent, de quibus vidimus ad emphonica atque symphonica reliqua. Hac enim particulae vario modo ponuntur, variantur, ordinantur, permutantur et coniunguntur inter se, aut omittuntur [103]).

CAP. IV.

DE HIEROGLYPHICIS APHONICIS.

§. 34.

De indole aphonicorum.

Recte veteres duplex hieroglyphicorum genus distinxerunt, cyriologicum alterum, alterum symbolicum [104]). Symbolica hieroglyphica, per se

---

secantes diuiduntur a manubriis, ita vt quatuor imaginibus siue segmentis vna litera significetur. Hieroglyphicum כ (n. 111.) primo duas figuras alteram vasis, alteram trianguli edit (112.), hinc ex amphora oritur circellus et linea, e triangulo semicirculus (n. 113.), porro semicircellus resecatur in arcum, qui imponitur, et chordam (n. 114.), denique soluitur circulus in duos arcus atque chorda siue linea infima frangitur (n. 115.).

103) Exemplo sit litera כ (Tab. IV. 115. coll. 114.), de qua modo diximus. Ceterum haec hieroglyphicorum sectio minutissima rarius occurrit in scriptis plerisque; frequentior est in verbis accuratius et subtilius exornatis, vti obseruatur in obeliscis plerisque maxime recentioris aetatis.

104) Quum praeter omnem exspectationem sit et veterum quoque testimoniis repugnare videatur, hieroglyphicam scripturam literarum signis constare; possit aliquis coniicere, alias saltem scripturas hieroglyphicas ex opinione vulgari integras symbolicas fuisse. Sed nolumus repetere, eiusmodi scripta certa et clara ratione perspici non potuisse, quod summum est omnis scripturae proprie sic dictae. Deinde diserte veteres hieroglyphica cyriologica cum symbolicis commemorant. Hic audiendus iam est Clemens Al. (Strom. L. V. c. 4.), qui, si fuisset longe alia ratio cyriologicorum et symbolicorum, vtrumque genus non confudisset, sed accuratius distinxisset. Accedit Abenephivs (vid. Kirch. Obel. Pamphil. p. 124. sqq.): *tertium*, inquit, *scribendi genus apud Aegyptios mixtum erat ex literis et imaginibus* (التماثيل). Porro si latior fuisset symbolorum vsus, deorum dearumque atque aliarum rerum ex vita petitarum imagines symbolica ratione prae ceteris et constanter adhiberi debuissent. Haec enim nomina, quae symbolica ars facillime significare potuisset, literis describuntur secundum pronunciationem. Ceterum non video, quid eiusmodi scriptis acciderit. Equidem perlegi obeliscorum, scarabaeorum,

haud obscura et numerosa, diuersa sunt a literis magisque ad picturam quam scribendi artem referri debent [105]).

§. 35.

De mimeticis.

Perquam raro pro elementorum signis obseruantur in scriptis hieroglyphicis ipsae rerum imagines [106]). Mimetica haec solas notiones attinent, significatus suos, simplicissima cum sint, sua sponte produnt atque, quod summum est, rursus pro elementis sumi possunt [107]).

---

mumiarum aliarumque rerum inscriptiones, quas descripserunt Kircherus (Oedip. T. I — III., Obelisc. Pamphil., Obel. ex Is. Rom. rel. sc.), Kaylus (Recueil d'antiq.), Zoega (de Obel.), descriptores Aegypti, peregrinatores, Museorum praefecti aliique permulti; perlegi inscriptiones hieroglyphicas et papyros vberrimos Musei et Bibliothecarum Berolinensium: nusquam vero textum aut versiculum vidi, qui alienus sit a legibus, de quibus hactenus actum est.

105) Quae quidem Clemens Al. (loc. l.) de hieroglyphicis symbolicis tradit, ea mirum in modum cum vsu cyriologicorum nonnullorum conueniunt. *Τροπικως δε*, inquit, *κατ' οἰκειοτητα μεταγοντες και μετατιθεντες, τα δ' ἐξαλλαττοντες, τα δε πολλαχως μετασχηματιζοντες χαραττουσι.* Qua de re admodum dubitaui, quin certe tropica, quae dicit, hieroglyphica deberent iis ipsis non adnumerari, quae supra imprimis cap. II. descripsimus. Possunt tamen tres species symbolicorum secundum Clementem distingui, dummodo teneatur, aphonica haec rarissima occurrere. Hinc pro certo etiam habeo, eorum vsum, si ab allegoricis genuinis discesseris, serius inualuisse. Differre autem haec hieroglyphica a reliquis, hoc argumento est, quod in his literarum indoles premitur, in illis rei, quae pingitur, ambitus et natura.

106) Sunt integrae inscriptiones et papyri hieroglyphici, in quibus nulla rerum imitatio inueniatur. Haec Clemens Al. etiam (loc. c.) non obscure tradit. Primo enim loco nominat hieroglyphica cyriologica, quae per prima elementa loquantur; hinc apendicis loco reliqua memorat. Tum vel ex eo apparet, quod dicit, iuuentutem Aegyptiacam a literis demoticis et hieraticis peruenisse ad hieroglyphicas, huius generis scripta aut integra aut paucissimis particulis exceptis constare e literis vel literarum symbolis. Caue igitur, ne haec symbola vt notionum symbola interpreteris. Sic inscr. Ros. Lin. XIII. offert hominis effigiem (Tab. IV. n. 116.), quae, cum respondeat demotico *ηηηη* (vid. Spohn. De ling. et litt. vett. Aeg. p. 17. v. 23.), symbolum huius vocabuli vel mimeticum *imaginis* haberi possit. Cum praecedat כ, quod alioquin superuacaneum esset, legendum est ככא, Copt. IIII *imago*. Ceterum illam hominis effigiem א significare, e scarabaeo Zoegae et Niebuhrii cognoscitur, in quo figurae א alternant (vid. Tab. IV. 117. coll. 118.).

107) Mimetica, quorum adhuc paucissima vel nulla vidi, ita comparata sunt, vt facillime intelligantur. Non enim nisi ad res satis notas atque vocabula substantiua pertinent. Quum

§. 36.

De tropicis.

Rarius adeo hieroglyphica tropica, quae imagine aliena rerum notiones exprimunt, exstant in cyriologicis. Quum horum natura conueniat cum indole mimeticorum, eaedem leges valent de tropicis, quae vsum quidem illorum circumscribunt [108]).

§. 37.

De allegoricis.

Allegoricis Aegyptiorum hieroglyphicis adnumerandae videntur variae delineationes, quae in papyris plerisque, templorum parietibus aliisque in rebus conspiciuntur [109]). Allegoriae enim est, alia, quam quae proxime

---

vero verborum compendia adhibeantur, ne potest quidem accurate discerni, sintne eius generis imagines rerum, an literarum symbola. Sic phallus, qui infra (Spec. IX. coll. Tab. XI.) occurrit, scribitur pro מס, qua de re, cum phallus alias literam מ et נ significet (v. Tab. III. n. 71. 70.), hoc loco rectius verbum מס *generator* in compendium reperiatur redactum.

108) Differunt tropica hieroglyphica a supra dictis, vt symbolica a mimeticis. Hac in re cauendum, ne figurae in scriptis hieroglyphicis coniunctae pro tropicis habeantur. Sic cernuntur sedentium figurae, qui offerant pateram, aut rete, aut alia. Huius generis imagines tot literas continent, quot partes earum distinguuntur. Tropica simplicia sunt. Profiteor, me hactenus nullum satis certum tropicorum in scriptis ipsis hieroglyphicis exemplum inuenisse. Possunt tamen huc referri insignia deorum pro ipsis diis, quibus tribuuntur, passim cum aliis adhibita. Sic in numis Graecis excusa est fulguris species pro Iouis indicio. Sed quemadmodum mimetica, ita haec etiam tropica, quae potius in titulis, quam textibus exstant, proxime literas significant, quas alibi denotant. Quamobrem quo rarius occurrunt, eo minus impediunt lectionem. Ceterum tropica, quae Clemens Al. memorat (Strom. l. c.), diuersa fuisse a scriptura, idem auctor est. *Τους γουν*, inquit, *των βασιλεων ἐπαινους θεολογουμενοις μυθοις παραδιδοντες, ἀναγραφουσι δια των ἀναγλυφων.*

109) Quominus ita statuatur, obiecerit aliquis, Clementem atque alios allegorica etiam *γραμμασι* adnumerare. Sed *γραμματος* vocabulum non solum apud Graecos aureae aetatis, sed ipsum etiam Clementem de lineis variisque designationibus adhibetur (vid. Strom. Lib. III. c. 3. sqq.). Diserte autem veteres hieroglyphica allegorica a reliquis, praesertim cyriologicis

significentur, innuere. Eiusmodi hieroglyphicorum complexus ad ideas et actiones indicandas adhibiti, quamuis apud alias etiam gentes reperiantur, maxima ex parte id proprium habent [110]), quod haud dubie in literarum monogrammata resolui possunt, qua de caussa duplicem interpretationem, grammaticam alteram, alteram symbolicam admittunt.

---

distinxerunt neque obscure tradiderunt, hoc scribendi vel ideas significandi genus non spectare ad literaturam proprie sic dictam. Narrat CLEMENS (Strom. L. V. c. 4.), Aegyptios assimilasse solem scarabaeo, atque Aethiopica *γραμματα* (*των παρ' Αἰγυπτιοις καλουμενων ἱερογλυφικων*) paullo post emendationis caussa (vid. Strom. L. III. c. 8.) *τυποις* appellat. ANTONIVS DIOGENES apud Porphyr. (de vit. Pyth. c. 11. 12.) memorat *διαφορας ἀλληγορουμενων κατα τινας αἰνιγμους*. Accedit ABENEPHIVS, qui quarta scribendi ratione non verborum elementa, sed religionis sacra ait indicata. اربعى inquit كان لكهن الحروف الطيور الدين يعنون بهم الاسرار الاهوت ✿ Quae quum ita sint, puto huc referendas esse picturas, quibus variae antiquitatis Aegyptiacae monumenta ornata cernuntur. In his tradita vidimus facta historica, vt vltionem Osiridis per filium Horum; adorationes et sacrificia deorum; agriculturae processum et negotia; iudicia suprema animarum; deliberationes bene maleue factorum, eiusque generis alia (vid. lib. nost. Bemerkungen über die Aegypt. Papyr. auf der K. Bibl. zu Berlin p. 3. sqq.). Non minus autem loquuntur (*κυριολογουσι*) hae delineationes, quam reliqua hieroglyphica; vtrumque enim genus adspicientibus offert ideas siue per elementa (*ςοιχεια*) verborum, siue per imaginum complexiones, veluti *ἰδεοφορους*.

110) Nescio an nulla sit gens nullaque aetas, quin simillimis imaginibus atque imaginum coniunctionibus cogitationes expresserit. Hoc enim est pretium picturae, vt non modo omnis generis corpora, quae obuersentur obtutui humano, designet et adumbret et colorum suauitate induta ad naturae veritatem temperet; sed etiam figuris nunc singulis nunc sociatis vitam quasi et mentem et vocem indere possit, quae alliciant non sensum, sed animum contemplantem, quae cogitationem afficiant, detineant, flectant. Iam hoc quidem symbolica Aegyptiorum cum symbolicis omnium nationum commune habent. At peculiare iis esse videtur, quod in eiusmodi designationibus ipsis etiam literae et verba latescunt. Vt vnum exemplum afferamus, femina seminans cum scapo duplici e segete progresso (vid. Tab. IV. n. 119. ex Pap. Berol. n. 25.) pro verbo נוּף *deus* haberi debet. Haec sententia quatuor argumentis fulcitur. Scriptura hieroglyphica adeo artificiosa et subtilis est, vt a probabilitate non alienum sit, literarum symbola ita composita et exornata fuisse, vt non solum orationem breuem describerent, sed etiam suo habitu et consociatione sententias ideales innuerent. Vidimus, Aegyptios literas suas mirum fere in modum coluisse, transformasse atque veluti obscurasse; quid impedit, quominus hac in via vltra etiam progressi scripturam cum pictura arctiori quasi vinculo copulauerint? Porro, eaedem figurae, quae allegoriis inseruiunt, exstant in hieroglyphicis scriptis praesertim accuratioribus. Aegyptiacum autem ingenium facillime pro figuris paene vbiuis languidis et passim imaginariis veras et varias adumbrare valuisset. Deinde effigies allegoricae non tantum miram quandam ruditatem, verum etiam cum literis siue hieroglyphicis emphonicis affinitatem produnt. Nullo autem pacto concedi

6

potest, allegoriarum pictores, quum in singulis partibus, quippe quae non spectarent ad lectionem, adumbrandis singularem artem et dexteritatem et elegantem sensum prodiderint, adeo sinistre ac pueriliter grauiora tractare debuisse. Vidi adeo, quo omnis leuitatis suspicio tollitur, lineas graphiteas praeductas, quas nunc duces secutus est, nunc emendauit calamus accuratior manusque secunda. Sic in verbo allato (Tab. IV. n. 119.) seges progerminans adeo lata et crassa apparet, vt vix ex arboris nucleo tanta luxuria prodiisset. Quis quaeso vnquam tenerrima tritici germina reddidisset literae ι hieroglyphici figura fidissima? Denique dudum obseruatum est, in delineationibus Aegyptiacis vestigia artis, quae dicitur, perspectiuae, frustra quaeri. An credis, Aegyptios, etiam Graeco ingenio emollitos, adeo rudes mansisse et ineptos, ut elementa picturae ignorarent aut negligerent, si non aliae rationes obstitissent, quae essent prosequendae? Etiam haec res facile explicatur, cum sumas in allegoricis scriptis latere literarum monogrammata.

Itaque apparuit, puto, scripturam Aegyptiorum hieroglyphicam ex hieroglyphicis, quae in prouerbio sunt, cum accuratius versemur, neutiquam constare. Quod quomodo cum veterum saltem placitis aut testimoniis constare possit, non pauci quaerent. Agedum videamus. Primum atque in genere monendum, veterum loca, dummodo recte intelligantur, nostram sententiam non labefactare, imo confirmare. Sunt quidem, quae repugnent aut repugnare videantur; sed in his accurate discernantur necesse est, quae auctores ab hominibus fide dignis et sacerdotibus acceperunt, quaeue sua mente coniecerunt, vt ipsi magna ex parte profitentur. Nihil hoc facilius. Communis enim sententia hieroglyphicam arcanam et retrusam artem dictitabat. Hinc Clemens Al. refert (Strom. L. III. c. 3.), *γραμματα ἱερα καλουμενα παρα Αἰγυπτιοις μονους γινωσκειν τους ἱερεις, παρα των πατερων ἐν ἀποῤῥητοις μανθανοντας*. Tamen nescio, an aliquid rectius et clarius sit, quam quod idem Clemens tradidit. *Συμβεβηκε*, inquit, *τους μεν τυπους (γραμματα Αἰγυπτιων) ὑπαρχειν ὁμοιους ζωοις παντοδαποις και ἀκρωτηριοις ἀνθρωπων, ἐτι δ' ὀργανοις*. Deinde qui accuratius de hieroglyphicis inter veteres disseruerunt, ea vixerunt aetate, qua hieroglyphicorum vsus exolesceret. Hieroglyphicorum cognitio periit cum literarum cognitione vulgarium. Inde a tempore, quo Graecae literae in Aegyptum illatae pro genuinis, quod primo post Chr. n. saeculo accidit, in vsum et vitam venerunt, succumbere coepit hieroglyphicorum interpretatio. Hinc exteris non vnquam concessum fuit, suo Marte huius generis scripta intelligere. Subinde ne indigenae quidem hieroglyphices interiora perspicere potuerunt. Hinc accidit haud dubie, vt Graeci, quamuis veracissimi, multis in partibus falsa edocti, falsa, si sint, nostris manibus tradiderint. Accedit, quod prius iamiam ars hieroglyphica eo peruenerat, vt non exigua verba mirum in modum transformata magis pro symbolicis quam cyriologicis, vti vidimus, haberi possent ab ipsis sacerdotibus non satis exercitatis in scribendo. Denique faciamus hieroglyphica fuisse, vt veteres asseruerunt, alia cyriologica siue elementaria, alia tropica siue symbolica, alia allegorica siue aenigmatica; at vero quis iam e toto veterum scriptorum numero claris disertisque verbis et serio contendit argumentisque idoneis demonstrauit, e triplici illo genere scripta hieroglyphica composita, quasi concinnata vel consarcinata fuisse? Nemo, inquam, mortalis fide certa, quod equidem scio, docuit, Aegyptios cogitata sua vno eodemque in papyro, saxo aut tabula partim literarum symbolis, partim mimeticis figuris, partim aenigmatibus, quod fieri nequit, conscripsisse. Graecis fuerunt et Latinis *γραμματα ἱερογλυφικα* omnis generis delineationes, quibus sacra quaedam indicarentur, quibus *ἱερα καλυπτεται*.

Quemadmodum vero Persis columba fuit celeritatis signum, Graecis cornu pro fortitudine, quemadmodum nostrates napeium pro memoria, hederam pro aeternitate sumserunt; ita Aegyptii

solem scarabaeo, vt CLEMENS refert, animam falcone, vt HORVS APOLLO auctor est, atque alia aliis significauerunt. Eiusmodi imaginibus non libros conscripserunt, sed aliis quibuscunque modis Aegyptios vsos esse puto. . Sic omnia bene cohaerent atque inter se conspirant.

Haec quum scripta essent, accepi a WEISKIO, Professore Lips., mihi amicissimo, literas, quibus, quod ab eo petieram, declarauit mihi, quid censeat de loco grauissimo Clementis Alexandr. (Strom. L. V. c. 4.). Iuuabit propius cognoscere, quae ille non docte minus et acute quam eleganter ad me rescripsit.

G. SEYFFARTHO B. G. WEISKE S. P. D.

In explicando eo Clementis Alexandrini loco, de quo, Vir Amicissime, quid censeam quaeris, ita nos recte versaturos spero, si ipsum eum locum interpretem sequimur, nihil de nostro inferentes. Leguntur autem haec apud CLEM. ALEX. Stromatum l. V. 4. p. 657. Potter: *οἱ παρ' Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην· δευτέραν δὲ τὴν ἱερατικὴν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς· ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν τὴν ἱερογλυφικήν· ἧς ἡ μέν ἐστι διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικὴ, ἡ δὲ συμβολική. τῆς δὲ συμβολικῆς ἡ μὲν κυριολογεῖται κατὰ μίμησιν, ἡ δὲ ὥσπερ τροπικῶς γράφεται, ἡ δὲ ἀντικρὺς ἀλληγορεῖται κατά τινας αἰνιγμούς. ἥλιον γοῦν γράψαι βουλόμενοι κύκλον ποιοῦσι, σελήνην δὲ σχῆμα μηνοειδὲς, κατὰ τὸ κυριολογούμενον εἶδος· τροπικῶς δὲ, κατ' οἰκειότητα* (F. add. *τὰ μὲν*) *μετάγοντες καὶ μετατιθέντες, τὰ δὲ ἐξαλλάττοντες, τὰ δὲ πολλαχῶς μετασχηματίζοντες χαράττουσι. τοὺς γοῦν τῶν βασιλέων ἐπαίνους θεολογουμένοις μύθοις παραδιδόντες,* (F. add. *οὕτως*) *ἀναγράφουσι διὰ τῶν ἀναγλύφων. τοῦ δὲ κατὰ τοὺς αἰνιγμοὺς, τρίτου εἴδους, δεῖγμά ἐστι τόδε· τὰ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἄστρων διὰ τὴν πορείαν τὴν λοξὴν ὄφεων σώμασιν ἀπείκαζον, τὸν δὲ ἥλιον τῷ τοῦ κανθάρου, ἐπειδὴ κυκλοτερὲς .. ὄνθου σχῆμα .. κυλίνδει...* Distinguit igitur tria literarum Aegyptiarum genera: epistolographicum, hieraticum, hieroglyphicum; hieroglyphici autem generis species duas, alteram per prima elementa, vt ait, res proprie exprimentem, alteram symbolicam, quam vel imitatione rem exprimere, vel tropica quadam translatione aut etiam aenigmatica significare dicit. Sed haec quidem symbolica, quae vocat *γράμματα*, ipsa descriptione et exemplis, quae subiicit, patet iam non *literas* esse, quas proprie dicimus, i. e. elementorum vocis humanae signa, sed picturas quasdam aut sculpturas rem ipsam *imagine* vel ad veram speciem adumbrata vel allegorica referentes. Ab his ipse distinguit scripturam hieroglyphicam eam, quam dicit *ἱερογλυφικὴν διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικήν.* Hoc quid sibi velit, maxime interest nostra scire, quum et ipsis his verbis hieroglyphicorum genus exprimi videatur non satis animaduersum adhuc neque intellectum, et ad reliqua duo, quae praecedunt, literarum genera non possit non inde aliquid lucis redundare, in hac praesertim totius loci continua per varios gradus disciplinae Aegyptiacae progressione. — Et CHAMPOLLIO quidem (vid. eius *Précis du Système Hiéroglyphique*) in his Clem. Alex. verbis deprehendere phonetica sua hieroglyphica sibi visus est, quod genus in eo dicit inesse, vt nomen quodque, quorum verborum initialibus sonis constat, eorundem signis symbolicis componatur. At si noster *τὰ πρῶτα*

στοιχεῖα initiales voluisset esse verbi cuiusque literas, haud dubie *τοῦ ὀνόματος* vel *ὀνόμ. ἑκάστου* addidisset. Quodsi etiam tale quid, quale CHAMPOLLIO, intelligi voluisset, dicturus fuisset longe ab iis, quae scripsit, diuersa. Quare LETRONNIVS (in nota CHAMPOLLIONIS libro subiecta), quamquam in re ipsa cum CHAMPOLLIONE consentiens, tamen *τὰ πρῶτα στοιχεῖα* explicat de antiquissimis illis *sedecim*, quae *Phoeniciae* dicuntur, literis, vsus loco PLVTARCHI Conuiu. Quaest. IX. 3. *τὰ δὴ πρῶτα, καὶ Φοινικεῖα διὰ Κάδμον ὀνομασθέντα, τετράκις ἡ τέτρας γενομένη παρέσχε.* (i. e. $4 \times 4 = 16$). At huius loci longe alia ratio est, quam nostri. Primum illic *Φοινικεῖα* additum est, quod nostro loco non est; deinde *πρῶτα* illic ipso contextu *τὰ παλαιότατα, τὰ ἐξ ἀρχῆς* significat, quum ibi disputetur de *πρώτῃ ἀναλογίᾳ*, quam paulo ante dicit, scil. de ratione primitiua et naturali, quae numeris cum literis inde ab initio intercesserit; quare paulo post similiter ludit in alio literarum numero (*ὑπὸ τοῦ πρώτου κύβου ὁ πρῶτος τέλειος πολλαπλασιασθείς* i. e. $8 \times 3 = 24$) et verbum *πρῶτος* illic exiguo interuallo varia significatione sexies vel septies occurrit non sine argutia sophistica. Nostro autem loco nihil tale additum, quo diserte, quae sint et quam multa haec *πρῶτα στοιχεῖα*, declaretur.

Quodsi verborum singulorum vsum vrgeas, ipsa putes vocis humanae elementa, scil. *simplicissimos sonos*, qui literis exprimuntur, significari. ARISTOTELES Art. Poet. c. 20. *στοιχεῖον μὲν οὖν ἐστι φωνὴ ἀδιαίρετος ... συνετή.* Ita fere et THEODOSIVS Gramm. ed. Göttling. p. 2, SEXT. EMPIR. adu. Gramm. I. 5, alii. Eodem modo *πρῶτον* dicitur de sonis loquelae humanae primariis h. e. simplicissimis. DIONYS. HALIC. *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων* c. 14. *οἱ δὲ τριχῇ νείμαντες τὰς πρώτας καὶ στοιχειώδεις φωνῆς δυνάμεις, φωνήεντα μὲν ἐκάλεσαν κ. τ. λ.* Grammaticus in Anecdotis Gr. Bekkeri T. II. p. 770. *στοιχεῖον δέ ἐστιν ἡ πρώτη καὶ ἀμερὴς τοῦ ἀνθρώπου φωνή.* Iisdemque verbis alii ibid. p. 814. 816. Sed tamen illud: *τὰ πρῶτα στοιχεῖα*, iunctim a grammaticis nec vsurpari solet, nec potuit ab his vsurpari nisi vel tautologia vel tautologiae specie admissa. Patet igitur, vbi *πρῶτον* verbo *στοιχεῖον* iungatur, ibi vel alterum eorum vel vtrumque alia, quam de ipsis vocis humanae elementis, significatione dici.

Et *στοιχεῖον* quidem saepe et *de literarum sonis omnino*, quamquam *non simplicissimis*, et de ipsis literis s. *literarum signis* dici constat. Quamquam enim alii distinguant, vt Schol. DIONYS. THRAC. in Anecdotis Gr. Bekkeri T. II. p. 772. *ὅτι μὲν γράφονται, λέγονται γράμματα, ὅτε δὲ ἀναγινώσκονται, λέγονται στοιχεῖα*, tamen alio sensu THEODOSIVS Gramm. ed. Göttl. p. 2. *γράμματα μὲν, ὅτι γράφονται, στοιχεῖα δὲ, ὅτι ἀναγινώσκονται*, et ipse DIONYSIUS THRAX Gramm. c. 7. (Anecd. Gr. Bekk. p. 630.) *γράμματά ἐστιν εἴκοσι τέτταρα ... τὰ δὲ αὐτὰ καὶ στοιχεῖα καλεῖται* et scholiasta eiusdem l. l. p. 814. *λέγομεν δὲ, ὅτι καὶ τὰ στοιχεῖα· διπλᾶ*, v. c. *τὸ ζ.* — Latior hic verbi *στοιχεῖον* vsus nostri loci contextu probatur. Hieroglyphicorum enim hoc genus, *τὸ διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικόν*, a symbolico hieroglyphicorum genere distinguitur eo quod illud *διὰ τῶν στοιχείων*, hoc est (ut ipsa oppositione apparet), literis, *sonorum* singulorum *signis*, *voces* humanas referebat, hoc autem *imagine* seu simili seu allegorica *rei vim ac sententiam* exprimebat. Quare quum hieroglyphicorum nomen huic primo generi, quod literis constat, cum tribus symbolicis commune sit, quumque praeterea in eo, quod rem proprie, non allegorice, refert (*ἐν τῷ κυριολογεῖσθαι*) literae hieroglyphicae cum symbolicorum specie prima, rerum imitatrice, congruant, tanto magis opus fuit additamento *διὰ τῶν στοιχείων*, quo vno discrimine literae illae hieroglyphicae a genere hoc *μιμητικῷ* secernerentur. Nam genus scripturae e literarum et symbolorum natura mixtum, si tamen unquam apud Aegyptios vsurpatum est, a rei pictura illud ad soni syllabarum vel verborum significationem per paronomasiam translatum, quod

ex vno apud Horapollinem I, 7. p. 9. ed. Höschel. exemplo petitum ZOEGA de Obeliscis p. 454. phoneticum appellauit, a CHAMPOLLIONEO diuersum, CLEMENS ALEX. aut ignorat, aut tropico vel aenigmatico genere tacite, vt rarius leuiusque, complectitur.

Cur et quomodo *διὰ τῶν στοιχείων* dixerit, vidimus. Quaeritur, *τῶν πρώτων* qua causa et quo sensu addiderit. In quo vnum pro certo habeo, quemadmodum verba *διὰ τῶν στοιχείων* continent sequentium ab his literis hieroglyphicis distinctionem, ita per additamentum *πρώτων* opponi iisdem ea, quae ante commemorantur, *τὰ ἐπιστολογραφικὰ* et *τὰ ἱερατικὰ γράμματα.* Cur enim adderet *τῶν πρώτων*, in descriptione praesertim breuitatis studiosa, si *τὰ διὰ τῶν στοιχείων ἱερογλυφικὰ* non nisi a sequentibus dignosci vellet? Atque hoc ipsum *διὰ τῶν πρώτων στοιχείων* (quocunque sensu dicatur), si eodem modo de tribus dici scripturae generibus poterat, epistolographico, hieratico, hieroglyphico literis constante, cur tertio demum id generi tribuit, non addens, quo lectorum errori caueret, eiusmodi aliquid: *δι᾽ ὧνπερ καὶ τὰ προειρημένα γράφεται?*

Hinc, ipso auctore duce, coniicimus fuisse alias literas (*δεύτερα στοιχεῖα* dicere propter tacitam eorum apud nostrum oppositionem licebit), quae propriae essent epistolographicae et hieraticae scripturae, alias autem hasce, quas primas vocauit, literas. Et hae quidem primae, num hieroglyphici generis propriae fuerint, an trium generum communes, dubitari potest. Aut enim hieroglyphica scriptura primis his literis solis vtebatur, alteris illis item solis reliqua duo genera, ita vt hae scripturae in literis omnino non congruerent; aut duo illa priora scripturae genera praeter literas quasdam ipsorum proprias, quas *τὰ δεύτερα στοιχεῖα* vocauimus, continebant etiam hasce primas (*τὰ πρῶτα στοιχεῖα*), quibus auctor hieroglyphicam tradit scripturam constare. Nos vt in hanc potius opinionem quam in illam inclinemus, atque *alphabeti epistolographici et hieratici parte hieroglyphicam quoque niti scripturam* censeamus, non manifestis quidem, sed tamen probabilibus ipsorum loci nostri verborum ipsiusque contextus indiciis mouemur. Plura enim insunt, quae accuratius consideranti persuadeant, et ipsos *sonos linguae Aegyptiae primarios*, et sonorum eorum signa (*τὰ πρῶτα στοιχεῖα*), licet solis iis hieroglyphicae literae niterentur, iisque propria quadam ratione vterentur, tamen communia quodammodo trium illorum scripturae generum fuisse. Etenim auctor non modo formam literarum, sed etiam sonum respexisse videtur, quum nullo discrimine facto simpliciter scribat *διὰ τῶν πρώτων στοιχείων.* Nam verbum *στοιχεῖα* et proprio vsu, quem vidimus, et eo, quem hoc loco obtinere ex symbolici generis oppositione intelleximus, non ipsa per se signa sive formas literarum, sed *sonorum* loquelae humanae singulorum signa exprimit. Accedit quod *τὰ πρῶτα στοιχεῖα* hoc quoque loco notionem simplicitatis eorum sonorum continere videntur. Nam *τὰ πρῶτα* per se non indicat antiquissima (*τὰ παλαιότατα* enim dixisset), sed vel simplicissima significat (vt de ipsis humanae vocis elementis dici antea comprobauimus), vel vtrumque potius hoc loco coniungit, potuitque coniungere, quum reapse antiquitati simplicitas, sicut in formis, ita in sonis literarum coniuncta esse soleat, nec nisi temporis progressu sonis accuratius distinctis signa etiam sonorum augeantur. At formarum quidem simplicitas non ipsa per se sola spectari potest verbis *ἱερογλυφικὴ ἡ διὰ τῶν πρώτων στοιχείων.* Neque enim *signis simplicissimis* sonorum ipsis hieroglyphica scriptura vti potuit, quod vetat disciplinae Aegyptiacae a scriptura faciliore ad difficiliores gradatio nostro in loco conspicua; sed *sonorum simplicissimorum* signis (*τοῖς πρώτοις στοιχείοις*) hieroglyphica scriptura et vti potuit et tota iis contineri, quaecunque formarum vel ars esset vel multitudo. Communes autem fuisse in tribus scripturae generibus sonos certis literarum signis expressos,

antiquiores maxime illos eosdemque simpliciores, neque diuersos omnino epistolographici generis, hieratici, hieroglyphici sonos fuisse, ipso auctoris de tali discrimine silentio probatur, quo vnam eandemque (si a dialecti discrepantia discesseris) fuisse Aegyptiorum linguam, cui tria illa scripturae genera inseruirent, confirmatur. Quae cum ita sint, non immerito mihi videor e nostro loco coniicere, *in epistolographico et hieratico alphabeto fuisse non modo illos literarum sonos, qui hieroglyphicis quoque literis exprimebantur, sed etiam alios quosdam, quibus illi opponuntur, sonos, ipsos quoque certis literarum signis expressos*, qui praeter illos duobus istis scripturae generibus accesserint. Nec mirum, si apud Aegyptios sacra literarum genera, hieroglyphicum maxime, formis licet variis excultum, sonorum tamen antiquiorum simpliciorumque et pauciorum literarum finibus se continuit, quum vulgari dialecto (quam a sacra distinguit Manetho ap. SYNCELL. p. 40. ed. Goar. Idem ap. IOSEPH. c. Apion. l. I. c. 14. p. 1158. ed. Oberthür.) noui soni certis signis expressi adderentur, nouaeque igitur literae accederent scripturae epistolographicae, et fortasse hieraticae quoque, quam a vulgari scriptura propius abfuisse ipso institutionis ordine auctor significat. Quare ad sonos literarum quod attinet, verbis *διὰ τῶν πρώτων στοιχείων* hoc indicatur, hieroglyphicam scripturam *solis primorum sonorum signis* contineri, eoque a reliquis duabus distingui. Illud autem si quaeritur, an non modo sonos auctor, sed *formas* quoque literarum verbis *διὰ τῶν πρώτων στοιχείων* spectaverit, non video, quid obstet, quo minus *vtrumque* eum voluisse statuamus. Nam et verbi *στοιχεῖον* vsus latius patens, vt antea vidimus, hoc patitur, neque auctor quidquam horum secernit, sed simpliciter dicit *στοιχεῖα*. Immo totus locus in eo potissimum versatur vt *formas* scripturae Aegyptiacae varias enumeret. Quid igitur? Potuitne auctor hoc velle, accurate expressas esse hieroglyphicis literis illas ipsas primarum literarum formas, quae in epistolographico et hieratico genere essent? Hoc quidem fieri non potest. Quid enim tum hieroglyphicae literae differrent ab iis horum duorum generum literis, qui ipsis responderent? Sed tamen *lineamenta primarum* illarum cum epistolographici tum hieratici generis *literarum*, si non expressa, at *adumbrata hieroglyphicis literis* esse, variisque formis ornata et aucta, consentaneum videtur ei, quae nostro loco declaratur, scripturae Aegyptiacae a simplicioribus ad composita, a facilioribus ad difficiliora continuae progressioni.

Quam multa autem et quae fuerint *τὰ πρῶτα στοιχεῖα*, quibus hieroglyphicae literae continerentur, accuratius constitui, in tanta praesertim literarum simplicissimarum et antiquissimarum ambiguitate, tantaque populorum in hoc genere discrepantia, ex ipsius quidem CLEMENTIS ALEX. verbis nequit, quum articuli vsu hoc vnum significet, *certas* esse et *notas* Aegyptiorum primas, quas dicit, literas. Quare nos satis habemus pro virili parte ostendisse, quid auctoris verba probare videantur, quid ambiguum relinquant. At quae tandem illae literae sint, et quomodo hieroglyphicis insint, haec iam ex ipsis Aegyptiorum a Te doceri monumentis, quo nihil in hoc literarum studio maius, nihil exspectatius est, insigniter laetabimur.

EXPLICATIONES
SCRIPTORVM HIEROGLYPHICORVM.

Specimen I.[1]). *Tab. V.*

[5]) כמא	[4]) ושעראז	[3]) נא	[2]) אז
. *(in) Aegyptum*	*(o!) Osiris*	*veni*	*age!*

---

